Broecker

De Timachida Scriptore Rhodio

DE TIMACHIDA SCRIPTORE RHODIO

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS CONCESSV ET AVCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN

ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE
FRIDERICA GVILELMA BEROLINENSI

SCRIPSIT

HANS-GVENTHER BROECKER

POMMERANVS

DIES PROMOTIONIS: D. IX. FEBRUARII MCMXX

WEIDAE THVRINGORVM
TYPIS EXPRESSERVNT THOMAS ET HVBERT
MCMXIX

Rettulerunt ad ordinem de hac dissertatione

Hermannus Diels Dr. Prof. publ. ord.
Ulricus de Wilamowitz-Moellendorff Dr. Prof. publ. ord.

MATRI SACRVM

Auctores, quibus utitur Timachidas Rhodius in catalogo donorum templi Lindii, non omnes ab ipso Timachida lectos esse statim intellexerunt viri docti, tamen Chr. Blinkenberg, qui titulum edidit in Actis academiae Danicae (Bulletin de l'acad. . . . de Danemark 1912, nos. 5—6) et apud Lietzmannum (Kleine Texte n. 131 „Die Lindische Tempelchronik", Bonnae 1915), docuit Xenagoram, Gorgonem, Polyzelum, Theotimum, Timocritum, Agelochum, epistulas Gorgosthenis et Hierobuli, acta magistratuum (q. v. *χρηματισμοί*) Lindiorum ipsa in manus Timachidae pervenisse. Saepius autem perlustranti titulum distingui posse mihi videbantur complures auctorum classes.

Primam classem iam distinxerunt U. de Wilamowitz-Moellendorff (Archaeol. Anzeiger 1913, p. 42—46), Blinkenberg (l. c.), Bruno Keil (Herm. 51, 1916, p. 493); huius classis auctores sunt Xenagoras, Gorgo, Gorgosthenes, Hierobulus, Nicasylus, Hegesias, Aielurus, Phaënnus, Eudemus, Myro, Theotimus. Ambiguum autem est, per quem cuncti ad Timachidam pervenerint, utrum per Gorgonem (Blinkenberg) an per Xenagoram (Wilamowitz). Sed priusquam de ipsa classe agamus, auctores singulos perlustrabimus.

Nicasylus, qui nisi in capitulo quinto a Timachida non citatur de dono Herculis, alias non invenitur, ita ut aetatem eius et rationem operis ignoremus; nomen autem nisi Rhodi notum non esse docet Hiller de Gaertringen in „Oest. Jahreshefte" 1904, p. 88 (de N. quodam Rhodio, qui 18 annos natus Olympiae in luctando vicit et 20 annos natus mortuus est). Inscribitur operi eius apud Timachidam *χρονικὴ σύνταξις*, item ut operibus Xenagorae, Agelochi, Aristionis, Onomasti, Timocriti, Zenonis, Agestrati: quo e titulo de opere nihil intelle- **Nicasylus.**

gimus; cum vero liber tertius de Hercule citatus sit, putare possumus eum compluribus libris de historia fabulari egisse.

Hegesias. Eodem in capitulo quinto et in capitulo decimo de donis Menelai citatum est libellum Hegesiae „*Ῥόδου ἐγκώμιον*“, quem titulum Blinkenberg, p. 415/99 optime quadrare dicit ad cetera illa, quae de Hegesia rhetore tradita sunt. Rhetorem enim Magnesium illum, qui fuit sub medium saeculum tertium, cuius fragmenta collegit C. Mueller in Scriptorum rerum Alexandri Magni pgg. 138—144 — cf. Susemihl, Griech. Literat. in der Alexandrinerzeit 2, p. 464—467 et Radermacher in Paulii et Wissowae R. E. 7, 2, 2607 — esse hunc Hegesiam consentiunt viri docti. Laudationem Rhodi in numero librorum eius non invenimus; sed quod a Strabone (9, 1, 16) citantur de arce Athenarum verba illius „*ὁρῶ τὴν ἀκρόπολιν καὶ τὸ περὶ τῆς τριαίνης σημεῖον· ὁρῶ τὴν Ἐλευσῖνα, καὶ τῶν ἱερῶν γέγονα μύστης· ἐκεῖνο Λεωκόριον· τοῦτο Θησεῖον· οὐ δύναμαι δηλῶσαι καθ᾽ ἓν ἕκαστον· ἡ γὰρ Ἀττικὴ θεῶν ἐστι κτίσμα καὶ ἡρώων προγόνων*“, qui locus esse potest laudationis Atticae, Rhodi quoque laudationem scripsisse potest, in qua mentionem fecerit templi Minervae Lindiae et donorum Herculis et Menelai: non plura dona in laudatione Lindi ab eo commemorata esse mirum non est, cum Strabo demonstret signorum ligneorum, quae in arce Athenarum erant, nullum nisi unum ab eo commemoratum esse.

Eudemus. Item liber Eudemi „*Λινδιακός*“ per Timachidam in notitiam nostram venit antea incognitus; hunc eundem fuisse ac peripateticum illum Rhodium, qui quarto a. Ch. saeculo fuit, dicenti Wilamowitzio assentior contra Blinkenbergium, qui p. 421/105 Eudemum peripateticum severiorem fuisse dicit, quam qui laudationem Lindiam componeret. At qui egit de Cosmogoniis Orphei, Homeri, Hesiodi, Acusilai, Epimenidis, Pherecydis, de arcanis Babyloniorum, Phoenicum, Aegyptiorum, idem scripsisse potest laudationem urbis Lindi, in qua fuit vetustissimum illud templum, qnod a Danao seu filiis eius conditum esse ferebatur. Sic per opus Timachidae ad fragmenta a Spengelio collecta accedunt quattuor: primum de

dono Menelai (cap. 10), alterum de dono ducis Persarum (cap. 32), tertium de adventu Minervae primo (cap. D *α*), quartum de adventu altero (cap. D *β*). Apparet autem e cap. 32, in quo neque Gorgo neque Xenagoras citantur, ipsum Timachidam legisse opus Eudemi, postquam apud auctorem suum invenit citatum.

Item laudationem, at non Lindi, sed Rhodi totius ex Myro. opere Timachidae intellegimus compositam esse a Myrone, qui ab eo citatus est ut Eudemus in capitulis 32 et D *α*. Hunc eundem esse atque illum, qui „Messeniaca" scripsit (Müller F. H. G. 4, 460: de Lacedaemoniis et bellis Messeniorum, apud Athenaeum 6, 271 F et 14, 657 C) et orationes Asiano genere composuit, quorum frgg. duo e Rutili Lupi de fig. sent. libri 1 cap. 20 et l. 2 cap. 1 collegit Müller F. H. G. 4, p. 461 — Messeniacorum auctorem et rhetorem unum eundemque fuisse docuit Boeckh — existimat Blinkenberg, p. 421/105: exemplo enim Hegesiae Magnesii, ut dicit, docemur nihil obstare quominus arbitremur Myronem quoque Prienensem encomium Rhodi scripsisse, cumque celeberrima fuisset hospitalitas Rhodiorum, multos rhetores peregrinos sic rettulisse gratias hospitalitatis verisimile esse. Aetas Myronis non constat, Wilamowitz (l. c.) aequalem fuisse dicit Hegesiae et utrumque usum esse opere Eudemi supra allato; Eudemus autem non Rhodi, sed tantum Lindi laudationem composuit, Hegesias et Myro Rhodum laudaverunt; atque cum de donis Persarum (cap. 32 et D *α*) citetur liber primus — in versu D 51 *ἐν τῷ Λ* corrigo in *ἐν τῷ Α* —, aliis locis a Timachida non citetur, concludo Myronem hoc opere imprimis de urbe Rhodo egisse; citatus esse potest in cap. D *β* de altero adventu Minervae, ubi tot nomina exciderunt. Cum vero eadem ratione atque Eudemus in cap. 32 citetur, in quo non errore Timachidae Xenagorae mentio facta non est, quod videtur Wilamowitzio, intellegimus Timachidam opus eius *Ῥόδου ἐγκώμιον,* ubi ab auctore suo vidit citatum, ipsum legisse.

Sed orsi eramus perlustrantes auctores huius classis a Phaënnus. capitulo Timachidae quinto, in quo post Hegesiam et alii

citantur et Phaënnus, cuius opus *περὶ Λίνδου* a Timachida tantum hoc loco citatur. Idem potest fuisse ille, cuius duo epigrammata conservata habemus in A. P. 7, 197 et 437 quorum altero (7, 197) imitatur Mnasalcem (A. P. 7, 194) — hunc Susemihl (2, 540) aequalem fuisse putat Euphorionis, sed paulo maior fuerit —, altero (7, 437) Simonidem. Agitat autem Phaënnum Meleager (A. P. 4, 1, 28). A Blinkenbergio ob nominis raritatem hunc poetam et auctorem Timachidae unum eundemque dicente non dissentio; nomen eius habemus in titulis Rhodiis (I. G. 12, 1, 263) *Φάισκος Φαέννου Βυβάσσιος.* Citatur autem a Timachida *Φάεννος ἐν τῷ περὶ Λίνδου* fortasse *ποιήματι*; versus autem redolent poetam Doricum. — Fuit igitur ante Meleagrum, qui aequalis fuit Timachidae, et post Mnasalcem, qui Euphorione paulo maior fuerit, i. e. intra annos 275 et 100: post eum fuisse putandus est ille, per quem in notitiam Timachidae venit.

Aielurus. Nomen autem Phaënni in cap. 5 antecedit nomen Aieluri alias incogniti item ut bellum *ποτὶ τοὺς ΕΞΑΓΙΑΔΑΣ* ab eo descriptum. Wilamowitzii, qui (Archaeol. Anz. 1913, p. 44) litteras illas intellegit *ποτὶ τοὺς ἓξ Ἁλιάδας,* i. e. de bello in sex illos Solis filios, qui Phaethonta-Tenagem, septimum (cf. Herm. 18, 1883, p. 429) occiderant, sententiam haud scio utrum sequar an non, cum non solum nomen *ΕΞΑΓΙΑΔΑΣ* nobis plane incognitum sit, sed etiam Herculis bellum *ποτὶ τοὺς ἓξ Ἁλιάδας.* Nec iuvamur opere Theotimi, qui contra illum „felem pseudonymum" (Wil.) complures, certo duos libros scripsit, quorum alter a Timachida bis citatur in capp. 10 et 14 (de donis Menelai et Teucri) *ἐν τᾷ Α τᾶν κατὰ Αἰέλουρον,* et quamquam, ut recte vidit Blinkenberg, p. 416/100, e ratione citandi cognosci potest Timachidam ipsum legisse opus eius, tamen primae classi attribuo, cum duobus illis locis citatus sit post illos Xenagoram, Gorgonem, Gorgosthenem, Hierobulum; rationem autem operis a Timachida citati ignoramus ipsumque auctorem; quod enim Blinkenberg eundem fuisse dicit illum, qui cum alia tum complures libros de Cyrena composuit, obstat, quod de dono e Cyrena misso (Tim., cap. 17)

Theotimus.

opus de Cyrena non citatum est; nam si idem in libro „contra Aielurum“ de donis Herculis et Teucri scripsit, arbitrari possumus eum in opere de Cyrena composito mentionem fecisse doni Minervae Lindiae dedicati a Lindiis, quos una cum aliis Cyrenam condidisse firmatur Blinkenbergi ad hunc locum observationibus, et quamquam e silentio Timachidae non multum argumentari licet, tamen si opus de Cyrena conscriptum esset ab eodem, cuius opus „in Aielurum“ — nomen fictum — legit, eum non neglecturum fuisse puto. Itaque cadit quaestio, pertineatne fabularis historia pseudonymi illius de bello *ποτὶ τοὺς ΕΞΑΓΙΑΔΑΣ* ad opus quoddam de Cyrena an de Rhodo confectum.

Reliqui primae classis auctores Gorgosthenes Hierobulus Gorgo Xenagoras plurimis locis inter se coniuncti citantur: duodecim in capitulis citatur epistula a Gorgosthene ad senatum Rhodiorum scripta — *Γοργοσθένης . . . ἐν τᾷ ποτὶ τὰν βουλὰν ἐπιστολᾷ* —, quo titulo docemur scriptam esse post annum 407. Citatur autem in capp. 1 (de dono Lindi), 2 (de dono Telchinum), 4 (de Minois), 5 (de Herculis), 6 (de Tlepolemi), 8 (de Telephi), 9 (de militum Tlepolemi), 10 (de Menelai), 11 (de Helenae), 12 (de Canopi), 13 (de Merionis), 14 (de Teucri). Iisdem in capitulis atque in cap. 29 (de dono Amasis) citatur epistula ab Hierobulo ad senatum Lindium scripta — *Ἱερόβουλος . . . ἐν τᾷ ποτὶ τοὺς μαστροὺς ἐπιστολᾷ* —; ad dona mythica addidit donum Amasis. Utrumque sacerdotem fuisse Minervae Lindiae Timachidas testatur in cap. primo . . . *Γοργοσθένης ὁ ἱερεὺς τᾶς Ἀθάνας . . . Ἱερόβουλος ἱερεὺς καὶ αὐτὸς ὑπάρχων* . . .; atque epistulae eorum item ut acta senatus Lindii in plebiscito, quod ante catalogum in lapide incisum est, ut testimonia praeclara citantur. Blinkenberg, p. 408/92 putat eos fuisse ante annum 170, a quo anno catalogi sacerdotum conservati sunt, in quibus non afferuntur, et utrumque eodem tempore eadem de causa litteras composuisse; hoc recte se habere potest, sed quod inde, quod Hierobulus non addidit donum Alexandri, concludit eum mortuum esse ante annum 338, assentiri non possum; ipse enim ad A 1 dicit

Gorgosthenes et Hierobulus.

verisimile esse epistulas sacerdotis utriusque scriptas esse post incendium templi (cf. D 41); et cuncta dona ab illis allata iam perierant, ut Blinkenberg monet ad B 3, nam de titulis semper scribitur *ἐπεγέγραπτο*. Hoc autem incendium fuisse docet Blinkenberg (ad C 40), intra annum 407, ex quo anni numerantur secundum sacerdotes Solis eponymos, et annum 330, ex quo dona conservata erant. Quos fines Bruno Keil (Zur Tempelchronik von Lindos, Herm. 51, 1916, p. 491 sqq.) a Blinkenbergio ad libitum factos esse dicit; non enim omnia anathemata incendio deleta esse donique Amasis reliquias anno 60 p. Chr. exstitisse et a Muciano visas esse; quod scripserit Timachidas *σταμόνας εἶχε ΤΞ*, significari donum non iam integrum fuisse, neque gravissimum fuisse incendium, cum et *ἐμπυριὁσθέντος* (D 41) non sit „flammis absumptus“ sed „incendio facto“ et in plebiscito (A 4) nil de incendio dictum sit, sed . . . *διὰ τὸν χρόνον ἐφθάρθαι*: cui sententiae obstat, quod in versibus D 38—41 scriptum est *ἃ πρότερον μὲν διεσώιζετο, ἐπὶ δὲ τοῦ ἱερέως τοῦ Ἁλίου Εὐκλεῦς τοῦ Ἀστυανακτίδα ἐμπυρισθέντος τοῦ ναοῦ κατεκαύσθη μετὰ τῶν πλείστων ἀναθημάτων*. Hic locus Timachidae ipsius mihi plus momenti habere videtur quam patris Agesitimi; iam ante incendium nonnulla dona tempore perisse putanda sunt, cum dictum sit de pateris a Lindo et a Telchinibus dedicatis *οὐδεὶς ἐδύνατο γνώμειν ἐκ τίνος ἐστὶ*, non *δύναται*, i. e. iam ante incendium nemo cognoscere potuit, e qua materie factae essent. De hac quidem re cautius dico, Muciani vero testimonium totum reicio; auctor enim est talis, quem Plinius in hist. nat. citet de rebus plane incredibilibus (cf. Blinkenberg, p. 440/124 sqq.), semel, ubi vel ipsi incredibilius quid videbatur, „ter consul“ addidit. In templo Lindio sacerdos quidam pannum quendam ostenderit Muciano dicens reliquias esse illius thoracis et habere telarum eundem numerum quem annus dierum, ille autem credidit, quod audiebat. Ac si revera numeraverit telas et tot fuerint, testimonio sit non reliquias genuinas fuisse, cum iam Herodotus de 360 telis tradat; mihi vero parum liquet, cur nemo tum haec chronica inspexerit, quippe

quae illa aetate steterint in templo. Nihil igitur e testimonio Muciani sequitur de incendio templi, de cuius finibus Blinkenbergi sententiam sequi possumus. Itemque e mentione Hieronymi peripatetici de tempore incendii nihil concludere possumus, nisi fuisse incendium ante Hieronymum. Atque quod duo sacerdotes epistulas mittunt de donis, alter ad Rhodiorum, alter ad Lindiorum senatum, interrogamus, qua de causa id fecerint, factum aliquod singulare quaerimus, et hoc est incendium templi: haec est causa mittendi epistulas. Egerunt autem in illis de donis mythicis, ad quae Hierobulus, fortasse propter sacras Aegyptiorum litteras vetustissimas, donum addidit Amasis; atque horum donorum plura longitudine temporum perisse mihi videntur iam ante incendium templi, et cum deflagravisset templum, Gorgosthenes et Hierobulus per epistulas ad senatum Lindiorum et Rhodiorum datas de aetate eius monuerunt allatis donis illis, quae temporibus antiquissimis dedicata erant; beneficia petiverint an iussi catalogos miserint — quos *ἀπογραφὰς* sive *καταλόγους* dici oportebat (Keil l. c.) —, non intellegitur e ratione, qua Timachidas in citando utitur, at e donis ab iis commemoratis; desunt enim apud eos dona Cadmi et Rhesi, quae in catalogo a senatu postulato non defuerint. Rhodiorum autem de Cadmo fabula Ialysiorum est, quos et Camirenses in hoc titulo vitari vidit Blinkenberg (*Ῥόδου κτίσται,* Herm. 48, 1913, p. 228); deest autem in hoc tertio capitulo Timachidae tota classis prima eademque in cap. 7 de dono Rhesi, solius hostis Agememnonis a Timachida commemorati. Denique neque intellego, cur Keilio (l. c.) Lindium (I. G. XII 1, 764) de restitutione donorum documentum non ad restitutionem post incendium pertinere videatur, et sequor Blinkenbergi sententiam, cui sacerdos hic fuisse videtur ille *Γοργοσθένης Κλάσιος,* cuius filii dona dederunt *εἰς τὰν ἀποκατάστασιν τοῦ κόσμου τᾷ Ἀθάνᾳ* (I. G. 12, 1; 764, 105), quem titulum Hiller de Gaertringen parti priori saeculi tertii attribuit.

Supra iam demonstraveram una cum Gorgosthene et Hierobulo Gorgonem allatum esse itemque pluribus locis

Xenagoram, quorum opera longius deducta et post epistulas sacerdotum composita esse vel ex hoc titulo intellegitur. Itaque cum epistulae Gorgosthenis et Hierobuli fontes mihi videantur esse, e quibus Gorgo et Xenagoras, cum de his donis scriberent, hauriebant, hoc loco plenius de singulis capitulis dicendum est. De Lindi et Telchinum donis ad ea, quae Blinkenberg disseruit, nihil addo. Quod autem donum Minois (cap. 4) propter notam de Althaemene Cretensi, qui Iovem Atabyrium in insula Rhodo collocasset, fabularem historiam in catalogo Lindio non offendere dicit, non assentior; idem enim (l. c. p. 246sqq.) docet Camirum coloniam esse Hierapytnae, quae ante Camirus appellabatur (cf. Steph. Byz. *Ἱεράπυτνα* et titulum Cretensem in Ephem. Archaeol. 1908, p. 199), et demonstrat (l. c. p. 239 et „Die Lind. Tempelchronik“, p. 10) mythos donaque Camirensium et Ialysiorum in hoc titulo (vel potius a classe prima) de industria vitari; itaque alia mihi quaerenda esse videtur causa: Thucydides 1,8 tradit Cares Phoenicesque, qui in insulis maris Aegaei habitabant et latrocinabantur, a Minoe pulsos esse, et apud Diodorum (5, 84) traditum invenimus Minoem colonias misisse in Cycladas et in oram maritimam Asiae et Rhadamanthum iussu Minois in insulas contra oram Ioniae et Cariae sitas colonias deduxisse. Itaque cum Cares in illa parte Asiae, quae ad Rhodum vergit, posteris temporibus sedes haberent, apparet opinionem fuisse Minoem illos postremo Rhodo expulisse insulamque adisse. Haec mihi videtur communis esse radix et fabulae Camirensis et fabulae Lindiae. — Sequuntur donum Herculis (cap. 5), donum Tlepolemi (cap. 6), donum Telephi (cap. 8), de qua fabula Blinkenberg, p. 366/50 demonstrat Stephanum Byz. tradentem septem stadiis a Pataris, urbe Lyciae, abesse fontem Telephi; fabulam a mythographis Rhodiis inventam esse assentior, verum non a Xenagora sed a Gorgosthene et Hierobulo sacerdotibus in maiorem gloriam Minervae Lindiae. Donum autem militum Tlepolemi (cap. 9) laudo Blinkenbergium dicentem fictum esse a Gorgosthene sacerdote. De capp. 10—14, quibus

traditur de donis Menelai, Helenae, Canopi, Merionis, Teucri, hoc loco nil addo, de titulis postea agam; in capitulo autem 14 ultimum una citantur epistulae sacerdotum Gorgosthenis et Hierobuli. Restat cap. 29, in quo Hierobulus egregie ut auctor ceterorum adscriptus est; qua de causa hoc quoque donum praeter dona fabulosa attulerit, iam antea dictum est.

Iam saepe commemoratum erat opus Gorgonis, cuius *τᾶν περὶ Ῥόδου* citantur libri primus et alter, primus de donis Lindi (cap. 1), Telchinum (cap. 2), Minois (4), Herculis (5), Tlepolemi (6), Telephi (8), militum Tlepolemi (9), Menelai (10), Helenae (11), Canopi (12), Merionis (13), Teucri (14), phylarum (15), alter in cap. 16 de dono Aretacriti, fortasse in capp. 18 et 20, quorum in reliquiis nomen Gorgonis lectum est, in cap. 26 de dono Amphinomi; usque ad cap. 14 semper citatur una cum Gorgosthene Hierobuloque, deinde cum solo Xenagora. Sine Gorgosthene Hierobuloque citatur in capp. 15, 16, 26. De cap. 15, quo traditur de donis consecratis a phylis Lindiis post victoriam quandam, quam omnes tres currendo inter se certantes pepererunt, sequor ea, quae disseruit Blinkenberg (Herm. 50, 1915, p. 273 sq.), praeter ea, quae de versuum auctore dixit; primo enim in hoc capitulo Timachidas — non primae phylae dono, quod habet titulum pedestrem — donis versus metricos adiunxit: secundae phylae duos trimetros iambicos, tertiae hexametrum et dimetrum iambicum versumque ithyphallicum, quod metrum Hephaestio (ed. Consbruch, p. 53, 6) vocat *Εὐριπίδειον τεσσαρεσκαιδεκασύλλαβον*. — Hucusque primus liber Gorgonis citatur: continet dona aetatis semideorum, belli Troiani, phylarum antiquissimarum; omisit ut Gorgosthenes et Hierobulus dona Cadmi et Rhesi. Primus locus libri alterius est de dono Aretacriti (cap. 16); non citatus est in cap. 17, quod primum est aetatis historicae, idemque deest in capp. 23, 24, 25 et ultimum affertur in cap. 26 ad donum Amphinomi. Gorgo.

Idem videtur fuisse ille Gorgo, quem citat Athenaeus 15, 696 F *καὶ ὁ εἰς Πτολεμαῖον τὸν πρῶτον Αἰγύπτου βασιλεύοντα παιάν ἐστιν, ὃν ᾄδουσιν Ῥόδιοι· ἔχει γὰρ τὸ ἰηπαιὰν ἐπίφθεγμα,*

ὥς φησιν Γόργων ἐν τῷ Περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ θυσιῶν: qua de re aliis locis nihil invenitur nisi quod Diodorus 20, 100 tradit Rhodios, postquam oraculum Ammonis interrogassent Ptolemaeumne ut deum colerent, templum (τέμενος) sacravisse et quod Pausanias 1, 86 tradit Rhodios cognomen „Σωτήρ“ ei dedisse. Traditum autem est apud Athenaeum non Γόργων sed Γεωργός, id quod emendavit Casaubonus, cum idem Gorgonis opus citatum sit ab Hesychio. Sed unde habeat Athenaeus hunc locum Gorgonis, perspicuum non est. K. Bapp (De fontibus, quibus Athenaeus in rebus musicis usus sit; Leipz. Stud. 8, 1885, p. 148sq.), qui solus de hac parte (paeanibus) operis Athenaei egit, omnes de rebus musicis partes iam ante Athenaeum in opere quodam musico ampliore coniunctas fuisse putat et hunc locum (15, 49—52) per opus illud incognitum (cf. Wentzel apud Pauly-Wiss. RE. II 2, 2033) referri ad Didymum, Didymum autem ipsum ab Athenaeo non inspectum esse.

Idem opus Gorgonis citatur ab Hesychio Alex. (κ 1371) καταρραπτίτης· Γόργων ἐν τῷ περὶ θυσιῶν et (Ε 5102) Ἐπιπολιαῖος· Ἑρμῆς ἐν Ῥόδῳ, ὡς Γόργων ἱστορεῖ — ad quam glossam Albertus e glossa 5105 ἐπίπονον· καματήριον ἢ Ζεὺς ἐν Μιλήτῳ subiecit verba — ⟨ἢ Ζεὺς ἐν Μιλήτῳ⟩ —, quae hic ad aliam glossam non quadrant, et e glossa 5107 ἐπιπόρπωμα· τὸ ἐπάνω τῆς πόρπης. καὶ τῶν ἵππων ἢ τὰς χλαμύδας συνέχουσα πόρπη· ἐπειδὴ τῆς πόλεως verba — ⟨ἐπειδὴ τῆς πόλεως⟩ sc. προστάτης sive κηδεμών. Quod van Gelder (Geschichte der Rhodier, p. 321) Ἐπιπολιαῖος mutare vult in Ἐμπολαῖος, illa, quae iure, ut mihi videtur, coniecit Albertus, respexisse non videtur. „Stadthort“ Pape nomen interpretatur (Lexikon der griech. Eigennamen), cognomen dei mercatorum esse interpretatur Heffter (Götterd. auf Rhodus, III, p. 55) et comparat cum Attico Mercuri cognomine „Ἐμπολαῖος“, qua re Gelder inductus esse videtur, ut mutaret nomen ab Hesychio traditum; Jessen (RE. VI, 1, 197) dubitat sitne cognomen dei mercatorum an comparari possit nomen cum Ἔμπολις, Πολιεύς, Πολιοῦχος; mihi vero pertinere videtur ad πόλις, quod

demonstratur verbis ἐπειδὴ τῆς πόλεως. Quae F. Jacoby in Hermae vol. 45, 1910, p. 310 de καταρραπτίτης dixit, sequor, quod vero de aetate Gorgonis suspicatus est, per chronica Lindia refutata sunt.

Ordo autem glossae Hesychianae turbatus esse potest illis temporibus, quibus totum lexicon ad litterarum ordinem transscribebatur (cf. H. Weber, Gött. Gel. Anz. 1867, p. 422). Expilavit autem Hesychius Diogenianum, qui ex Pamphilo, Didymi expilatore, hausit (cf. Schmidt, quaest. Hes., p. 67, 20; Weber, Philol. Suppl. 3, p. 470; Reitzenstein, Die Überarbeitung des Lex. des Hes., mus. rhen. 43, 1888, p. 455 sq.). Itemque Athenaeus fragmentum Gorgonis de paeane a Rhodiis in Ptolemaeum cantato ex opere Pamphili compilavisse potest, ita ut utraque via descendamus ad auctores eosdem, Pamphilum et Didymum; quo in libro Didymus de sacris Rhodiorum egerit, non liquet neque, utrum ipsum Gorgonis opus legerit an ex opere scriptoris Alexandrini prioris cognoverit. Eodemque e Didymo haustum est fragmentum Mülleri tertium, quod exstat in scholiis ad Pind. Ol. 7 . . . ταύτην τὴν ᾠδὴν ἀνακεῖσθαί φησιν Γόργων ἐν τῷ τῆς Λινδίας Ἀθηναίας ἱερῷ χρυσοῖς γράμμασιν. Quod carmen compositum est in honorem Diagorae, Damageti filii, qui Olympiade 79 vicit; de re a Gorgone commemorata alias nihil traditum est, sed bene quadrat locus ad hunc auctorem. Nec vero neglegendum est rem esse Ialysiorum, unde apparet in chronicis Lindiis non Gorgone auctore vitari res Ialysiorum. Scholia autem Pindarica vetera ad Didymi commentarios referri possunt, atque editor posterior satis habuit e Didymo haurire et mythographica pauca aliaque frustula nonnulla addere: quae a Byzantinis magis contracta sunt (v. Wilamowitz, Eur. Herakl. I², 184/85). Sic omnes locos Gorgonis extra titulum Lindium traditos ad Didymum referendos esse videmus, post quem non iam lectus videtur esse.

Sed praeter illos locos, quibus nomen Gorgonis exstat, omnes, quibus apud Hesychium sacrificiorum Rhodiorum mentio fit, loci e Gorgonis et Eucratis Moschique libris

Ῥοδιακῶν θυσιῶν sumpti esse videntur Schmidtio, quaest. Hes., p. 182. Quorum Eucrates ab Hesychio citatur de *ἔλατρον· Εὐκράτης ἐν Ῥοδιακοῖς· ἔνδυμα κατάζωσμα* et ab Athenaeo 3, p. 111 B: *Ἐτνίτας, ἄρτος, ὁ προσαγορευόμενος λεκίθας, ὥς φησιν Εὐκράτης*; quo tempore Eucrates scripserit quibusque de rebus Rhodiis, ignoramus (cf. Susemihl 2, 399, 314; Jacoby, RE. VI, 1, 1058, Eukrates 16). Moschus ab Hesychio nullo loco nominatur, sed tantum ab Athenaeo 11, p. 485 E ad verbum *λεπαστή . . . Μόσχος δ' ἐν ἐξηγήσει Ῥοδιακῶν λέξεων κεραμεοῦν ἀγγεῖόν φησιν αὐτὸ εἶναι, ἐοικὸς ταῖς λεγομέναις πτωματίσιν, ἐκπεταλώτερον δέ . . .*: quo tempore fuerit, non liquet (cf. Pauly, RE. 5, p. 17, Moschus 2). De sacris autem Rhodiorum neque Eucrates neque Moschus citatur, ita ut coniectura Schmidtii parum certa mihi videatur, praesertim cum de sacris Rhodiorum, si auctores quoque ab Hesychio non citatos respicimus, praeter Gorgonem Theognis quidam ab Athenaeo (8, 360 A) citetur. Equidem hos locos — omnes glossas Rhodias collegit Schmidt, Hes. tom. 4 ind. p. 163 — ab auctore Hesychii e Gorgone haustos esse existimo, partem earum fortasse ex Eucrate, siquidem non alii, qui de sacris Rhodiorum scripserunt, ab auctoribus Hesychii allati erant ut Theognis (*Θέογνις ἐν β' περὶ τῶν ἐν Ῥόδῳ θυσιῶν* . . . Ath. 8, 360 A), cuius aetas non constat (Susemihl 2, p. 400, n. 314); spectant huc glossae *Ἀνθεστηριάδας, Ἀνθρωπείους ἡμέρας, Ἀταβυρία, Διακαλαμάσαρκες, Ἔνδενδρος, Ἐριδίμιος, Παιὰν Ζεύς, Εὐπορία, Θυωνίδας, Μακρόβιοι, Μύλας, Ἴγνητες, Ἐπισκάφια, Ἐπουτίς, Πλατορόα, Τελεσθία, Παγκλάδια, Ὑπόθευτον, Ναστά, Ὀλοοίτροπα*; glossa *κορωνισταί* deducta est e „Coronistis" Agnoclis Rhodii, ut tradit Athenaeus Pamphilum secutus, unde in Hesychii quoque lexicum pervenisse verisimile est. Sed si recte traditum est in codice Laurentiano *Ἀριστοκλῆς* (Gelder 413) et is est grammaticus ille Rhodius, qui fuit primo a. Chr. saeculo (cf. Wentzel, RE II, 1, 935 n. 18), hic „Coronistarum" auctor usus esse potest opere Gorgonis.

Ex Athenaeo, qui et ipse Gorgonem citat, plures locos Gorgoni adscribere dubito, cum in libro 8, p. 360 B de

„Chelidoniis“ citetur Theognis ille, qui de sacrificiis Rhodiis complures libros composuit; fortasse e libro Gorgonis est locus ille (12, 561 E), quo traditur Rhodios Haliea egisse: *Θεσπιεῖς τε τὰ Ἐρωτίδεια τιμῶσιν καθάπερ . . . Ῥόδιοί τε τὰ Ἁλίεια*, sed incertissimum est. In scholiis autem ad Pindari Ol. 7, in quibus Gorgo citatur de carmine in templo Lindio inciso, alia Gorgonis vestigia non invenio.

De numero librorum nihil certi constat, fuerunt fortasse duo libri; his in libris egit diligentius de Minerva Lindia, de Iove, Apolline, Diana, Cerere, Baccho, Mercurio et fortasse de Sole, de Nymphis et Telchinibus, de sacrificiis quibusdam, de paeane a Rhodiis in Ptolemaeum Soterem cantato, quo excepto omnes loci pertinent ad tempora mythica. De templo Lindio auctoribus usus est Gorgosthene et Hierobulo sacerdotibus, quorum epistulas ipse legit et fortasse verbotenus exscripsit. Sic cum Blinkenbergio consentio contra Br. Keilium, qui in vol. Hermae 51, p. 491 sqq. de hoc titulo egit. Recte quidem dicit Gorgonem omnia, quae tradit, una cum sacerdotibus tradere, Cadmum et Rhesum omisisse, non iam attulisse dona Phalaridis Dinomenis Amasis (cap. Tim. 27—29), i. e. dona temporibus historicis a singulis hominibus notis dedicata; at catalogos a sacerdotibus incohatos produxisse mihi non videtur, atque etiam Gorgonem cum Gorgosthene eadem gente coniunctum fuisse mihi audacius videtur putari; eodem enim iure contendere licet Hieronem sic cum Hierobulo coniunctum fuisse, cum ille de donis Amasis una cum hoc, deinde de donis ducis (cap. 32 et D α) et regis (cap. 35) Persarum non iam ab hoc allatis et de dono Rhesi (cap. 7) ab hoc omisso scripserit, ita ut videretur epistulam Hierobuli supplevisse et produxisse, quae mihi videtur coniectura esse nimis ventosa. Gorgo si produxisset epistulam Gorgosthenis, non omnia, de quibus ille egerat, retractavisset. Sed quod iam supra demonstraveram, in cap. 29 de dono Amasis epistula Hierobuli citata est, non liber Gorgonis, qui illa usus esse putabatur, neque epistula Gorgosthenis, qua re fortasse

Keilius inductus est ad suam de Gorgosthene et Gorgone sententiam: ego autem existimo Hierobulum de iisdem rebus eodem tempore eademque de causa atque Gorgosthenem scripsisse, donum autem Amasis — ut videtur Keilio, propter vetustissimas litteras Aegyptias — ad dona mythica addidisse, Gorgonem vero, cum tantum de donis mythicis ageret, doni Amasis mentionem non fecisse. Cur tantum de donis mythicis citatus sit, non liquet, cum de carmine Pindarico in templo Lindio inciso scripserit; fortasse de carmine Pindarico alio loco tradidit, praesertim cum Diagoras Ialysius esset; neque negari potest Gorgonem epistulam Hierobuli non novisse, sed tantum Gorgosthenis, quae apud senatum Rhodiorum conservabatur; quae si ita sint, Gorgo non Lindius fuerit, sed civis urbis Rhodi, epistula autem Hierobuli a Xenagora ad lucem producta sit: quae res testimonio sit hunc post Gorgonem scripsisse, ita ut Hierobulum aliosque ad auctores Gorgonis adderet. Eudemum Myronemque non iam citare poterat Gorgo, quod dona ducis Persarum et alterum adventum Minervae commemoraverunt, itemque Phaennus non ab eo citatus esse potest, cum haud plus uno saeculo maior fuerit Timachida et minor fuerit Gorgone. Hegesias Nicasylus Aielurus Theotimus ab eone citati sint, dubitari potest, sed etiam Hegesias non maior fuisse videtur Gorgone; itaque Keilium, quod dicit Gorgonem catalogos a sacerdotibus incohatos supplevisse, tantum sequi possumus, ut Gorgonem ad dona templi Lindii describenda eorum, quos nos novimus, scriptorum tantum epistula Gorgosthenis usum esse existimemus.

Xenagoras. Ultimus primae classis auctor est Xenagoras, cuius operis *χρονικῆς συντάξεως* in chronicis Lindiis citantur libri primus et quartus; praeterea complures loci a scriptoribus traditi collecti sunt a Muellero in F. H. G. 4, p. 526—528; videntur autem citata esse a scriptoribus duo opera: *χρονικῶν* seu *χρόνων* seu (ut supra) *χρονικῆς συντάξεως* libri primus tertius quartus et liber *περὶ νήσων*.

E Chronon libro primo excerptum est fragmentum (Muelleri n. 1) in scholiis ad Apollonii Rh. Arg. 4, 262 (ed. H. Keil, p. 493/94) *οὐδέ τι πω Δαναῶν*] . . . *καὶ Νικάνωρ δὲ λέγων ἐν Αἰγύπτῳ πρῶτον κτισθῆναι πόλιν Θήβας καὶ αὐτὸς συμφωνεῖ τῷ Ἀρχεμάχῳ ἐν ταῖς Μετονομασίαις. δοκεῖ δὲ πρῶτον πόλιν Θήβην κατ' Αἴγυπτον κτισθῆναι, ὥς φησι Ξεναγόρας ἐν α' Χρόνων.* Consentit Xenagoras praeter hos Nicanorem et Archemachum, qui Callimachum secuti de mutationibus nominum scripserunt, cum Homero (Il. 9, 381 ss.), Herodoto (2, 15), Diodoro (1, 50, 1 et 6); putabatur igitur a Graecis urbs Thebae antiquissima Aegypti, quamquam Memphis antiquior est (Erman, Aegypten 1, 39). In scholiis illis praeter hoc duo fragmenta habemus: ad 4, 264 de Atlante et ad 1, 623 de Oenoa insula, de quibus postea videbimus: hoc loco quaestio est, unde huc pervenerint: in codice Laurentiano quamquam subscriptio exstat haec: *παράκειται τὰ σχόλια ἐκ τῶν τοῦ Λουκίλλου Ταρραίου καὶ Σοφοκλέους καὶ Θέωνος*, Merkel (Proleg., p. 61) dubitat de commentariorum Lucilli Sophoclis Theonis usurpatione, praesertim cum subscriptio a manu prima, scholia ab altera scripta sint, ut illa pertinere videatur ad ea quae is, qui carmen scripsit, adiecturus fuerit, nisi a labore avocatus esset, quam sententiam refutavit Keilius (praef. p. 301), quod dicit manum primam et alteram eiusdem hominis esse diverso tempore opus navantis, et Wilamowitz (Eur. Her. 1, 186 et 187 n. 132), quod dicit scholia e Theonis, Didymi discipuli, commentariis hausta esse a Lucillo Tharraeo, qui primo saeculo fuit, et Julio Pacato, qui dicitur Irenaeus, contra quem altero saeculo p. Chr. Sophocles quidam commentarios scripsit, quibus, cum „copiosissime doctrina illa mythologica et geographica“ (Deicke, de scholl. in Ap. Rh., Diss. Gott. 1901, p. 39 s.) exornati fuissent, fragmenta Xenagorae in scholiis Apollonianis servata esse existimo; exscripsit Irenaeum et hic Theonem, cuius commentariis uti poterant Valerius Flaccus et Statius. Sed iam Varro Atacinus scholia ad Argonautica trivisse videtur (cf. Knaack, R. E. II 1, 132), itaque incertum est,

Liber I Fr. 1.

quo tempore illi loci Xenagorae in scholia Apolloniana pervenerint.

Fr. 2. Deinde Mueller fragmentum de Assyria primo libro Xenagorae adscribit, quod exstat in Etymologio Magno: *Ἀσσυρία· ἡ Βαβυλωνία· τὸ μὲν πρῶτον ἐκαλεῖτο Εὐφράτις, ὕστερον δὲ Χαλδαία· τὸ τελευταῖον δὲ ἀπὸ Ἀσσούρου τοῦ Σούσου Ἀσσυρία, ὡς Ξενοκράτης ἐν πρώτῳ χρονικῶν „Αὐτίκα δ' Ἀσσυρίης ἐπέβαν χθονός· ἔνθα Σινώπην / θυγατέρ' Ἀσωποῖο . . .“*

Ἡ πλησίον τῆς Σινώπης γῆ, ἕως Ἀπαμείας καὶ ἔτι κάτω, ἡ κειμένη πρὸς τῇ θαλάσσῃ τῇ Ποντικῇ τῇ φερομένῃ ἐπὶ Περσίδα καὶ Ἰνδίαν, καλεῖται πᾶσα Συρία· διὰ τὸ συρῆναι αὐτὴν ὑπὸ τοῦ κατακλυσμοῦ μερικοῦ γενομένου· Ἀσσυρία δὲ ἡ ἐγγὺς τῆς συρείσης γῆς οὖσα· ἥτις ἐστὶν ἡ Σινώπη· παρὰ τὸ μὴ σύρεσθαι.

Ἀσσύριοι, τὸ ἔθνος. Καλλίμαχος· „Ἡ μὲν ἀπ' Ἀσσυρίων ἡμεδαπὴ στρατιή.“ καὶ „Ἥμισυ μὲν Πέρσαι, ἥμισυ δ' Ἀσσύριοι“. εἴρηται παρὰ τὸν Ἀσσάρακον τοῦ ἔθνους ἐπικρατήσαντα, ἐκβολῇ τοῦ κ, Ἄσσαρος· καὶ τροπῇ Ἄσσυρος· καὶ παραγωγῇ Ἀσσύριος, ὡς μάθω, μῦθος.

Ἀσσυρίους· τοὺς ἐν τῷ Πόντῳ· παρὰ τὸ μηκέτι Σύρους εἶναι· ἵν' ᾖ Ἀσύριος. Mueller (F. H. G. 4, p. 530) praeter Xenocratem Academicum, cui Gaisford hunc locum adscribit, tres affert Xenocratides: Ephesium, quem Plinius in hist. nat. (11, 1; 20, 14 et 21; 21, 31; 22, 22; 27, 2 et 10) auctorem habuit, statuarium Sicyonium, Tisicratis discipulum, qui de arte statuaria (Plin. n. h. 34, 8), toreutica (id. ib. 33), pictura (35, 10) scripsit, medicum Aphrodisiensem (Galen. 2, 68; 5, 711; 2, 132; Artemid. Onirocr. 4, 22); horum cum nullus *χρονικὰ* composuerit, Mueller pro Xenocratidis nomen ponit Xenagorae, iure, ut mihi videtur. Nomen enim Xenagorae non saepe citatum a scriptoribus antiquis facile corrumpi poterat ut nomen Timachidae, de quo egit Blinkenberg in libello „Die Lind. Tempelchronik“, p. 41, in Timarchus et Timotheus[1], Gorgonis in Georgus; atque ab hoc Xenagora

[1] Quod Radermacher, Der Grammatiker Timachidas, Philol. 1919, p. 373 s. dicit formam *Τίμαχος* codicibus iure traditam esse, non respexisse videtur scriptum esse *Τίμαρχος*, nullo loco *Τίμαχος*; traditae sunt in

de nominum originibus scriptum esse e fragmentis libri περὶ νήσων videmus (Sphecia fr. 36, Chytri fr. 37, Oenoa fr. 40). Locum totum exhibui; plura enim ad Xenagoram referri possunt, quam Mueller opinatur; explicationes tales redolent altera eum qui Chytrorum nomen deducit a Chytro, altera eum qui nomen *Κεραστία* a *κέρατα*. Hae explicationes confusae sunt in Etymologio Magno, ita ut explicationem secundum nomen Assaraci sequatur explicatio secundum verbum *σύρειν* sine distinctione. Deinde ab *Ἀσσύριοι, τὸ ἔθνος* . . . altera glossa orditur, in qua nomen eadem ratione explicatur. Glossam primam mutilam esse apparet; desunt aliqua post *ἐν πρώτῳ Χρονικῶν*, qua re Gaisford inductus est, ut versum Xenocrati daret; versus est Apollonii Arg. B. 946, id quod ni fallor adhuc nemo notavit. Glossam *Ἀσσύριοι τὸ ἔθνος* habet Etymologium quoque Gudianum, sed paulo ampliorem: *Ἀσύρροι, καὶ Ἀσύρριοι τὸ γένος εἴρηνται, ἤγουν τὸ ἔθνος, παρὰ τὸν Ἀσσάρακον τοῦ ἔθνους ἐπικρατήσαντα· ἵν' ᾖ ἄσσακος καὶ ἐκβολῇ τοῦ κ, καὶ τροπῇ εἰς ρ ἄσσαρος. καὶ τροπῇ τοῦ α εἰς υ ἄσσυρος, ὡς μάθω μύθω· καὶ κατὰ παράβασιν Ἀσσύριος. οὕτω Ἐπαφρόδιτος. καὶ δοκεῖ καλεῖσθαι ἀσσυρίους τοὺς ἐν τῷ πόντῳ, παρὰ τὸ μηκέτι εἶναι Σύρους, ἵν' ᾖ Ἀσσύριοι διπλῷ σσ. καὶ θαῦμα εἰ ἀναδιπλασιασμὸς καὶ μετά τινα στέρησιν, καὶ γὰρ ἐπὶ τοῦ ἄληκτος καὶ ἄμμορος ἀλήκτωρ καὶ ἀννίφελος καὶ ἄρρωστος*; fontem Etym. Magni Genuinum si integrum haberemus, clarius iudicare possemus, quatenus uterque locus alter altero iuvetur; sed Cramer in Anecd. Graec. Paris. 4, 19 huius loci mentionem non fecit et e verbis Milleri (Mélange de lit. Grecque, Paris 1868, p. 49) tantum videmus citatum fuisse hoc loco versum Callimachi. Citatur autem in Gudiano Epaphroditus, qui saeculo 1 p. Chr. cum alia tum commentarios in Callimachum scripsit, quibus Luenzner (Epaphroditi, quae supersunt, diss. Bonn. 1866, p. 47 s.) utrumque

---

scholl. Eur. formae *Τίμαρχος* et *Τιμαχίδας*, eaedemque apud Harpocrationem et apud Athenaeum et apud Hesychium, qui ex eodem auctore (Pamphilo) atque Athenaeus hausit; itaque formam *Τίμαρχος* a codicum scribis corruptam esse e forma *Τιμαχίδας* arbitror.

locum (et Magni alterum et Gudiani) adscribit. Itaque haud iniuria locum priorem excerptum esse putemus e scholiis Apollonianis, in quibus Xenagoram citari iam vidimus. Quae si ita sunt, auctor Magni, qui saepe scholiis Apollonianis usus est (cf. Deicke, De schol. in Ap. Rh. Diss. Gott. 1901, p. 22), glossam priorem excerpsit e scholiis Apollonianis plenioribus (cui sententiae obest Merkel, prol. p. 67), alteram e scholiis Callimacheis. Uterque locus ad Xenagoram referri potest, sed Epaphroditusne eum legerit, dubito; fortasse e Didymo habet, quo usus est in Hypomnematis Homericis et in libro *λέξεων* (cf. Cohn, R. E. V, 2, 2712 ss).

Fr. 2b. Alius locus Xenagorae in Etym. Magno citatur, p. 738, 51 (Muelleri 8) de Cypro: *Σφήκεια ἡ Κύπρος· πρότερον γὰρ Σφήκεια ἐκαλεῖτο ὥς φησι Φιλοστέφανος* (ut correxit Fabricius in Bibl. Graec. 4, p. 626 e *Στέφανος*) *ἐν τῷ περὶ Κύπρου ἀπὸ τῶν ἐνοικησάντων ἐκεῖσε ἀνδρῶν, οἳ ἐκαλοῦντο Σφῆκες· ἐκαλεῖτο ⟨δὲ⟩* (Tzetzes) *καὶ Κεραστία, ὡς Μένανδρος ἐν τῷ περὶ Κύπρου λέγει, διὰ τὸ ἐνοικῆσαι αὐτῇ ἄνδρας, οἳ εἶχον κέρατα· ὡς δὲ Ξεναγόρας ἐν τῷ περὶ νήσων διὰ τὸ ἔχειν ⟨αὐτὴν⟩* (Tzetz.) *πολλὰς ἐξοχάς, ἃς κέρατα καλοῦσι, Κεραστία ὠνομάσθη.* Idem locus Xenagorae citatur a Tzetza ad Lycophronem (v. 447 ed. Scheer 2, 164 s.); tradit autem *Φιλοστέφανος*, non *Μένανδρος* sed *μὲν Ἀνδροκλῆς*, pro quo Mueller restituit *Μένανδρος*; Knaack vero, qui hoc fragmentum excerptum esse putat e pleniore Stephani codice (Herm. 25, 1890, p. 83), defendit *Ἀνδροκλῆς*. Philostephanus a Stephano citatur ad *Κύπρος* „*ὡς Φιλοστέφανος ἐν τῷ περὶ νήσων*“, compluresque locos, quibus citatur Philostephanus, Callimachi familiaris, collegit Vossius, de hist. Graec., p. 129 et Mueller, F. H. G. 3, p. 28—34; Menandri opus et aetas nobis nota non sunt (Susemihl 1, 636). Id autem, quod Knaackium secutus Susemihl (2, p. 399 n. 312) de Xenagora coniecit, cum iis, quae e titulo Lindio de aetate Xenagorae videmus, pugnat; non enim ante Androclem, qui anno 332 cum nave periit, fuit Xenagoras. Philostephani opus longius deductum esse potest quam Xenagorae, quod apparet e Plinio, a quo (n. h. 7, 56, 207/8) Xenagoras citatur de

Syracusanorum navibus sex ordinum, Philostephanus de navibus quadraginta ordinum Ptolemaei Tryphonis, qui mortuus est anno 204; sed fueritne Xenagoras ante illum, dubium est, cum citaverit Hegesiam Phaënnum Gorgonem. Eundem locum de nomine Cypri — Mueller duos diversos putat: fr. 8 et 9 — citat Plinius nat. hist. 5, 31, 129: „Cyprum] vocatam antea Acamantida Philonides, Cerastim Xenagoras et Aspeliam et Amathusiam et Macariam, Astynomus Crypton et Coliniam". Tzetzes expilavit Etym. Magnum (cf. Wentzel, Diss. Gott. 1890, parte 5 de schol. Lyc. p. 1); quo e fonte huc pervenerit locus de Cypro-Cerastia, non certum est, fortasse ut Knaackius putat (l. c.) e pleniore codice Stephani Byz., qui Xenagoram nonnullis locis citavit; in Gudiano de Cypro agitur, non vero de illis cognominibus, in Genuino sitne glossa *Σφήκεια,* ex excerptis Milleri cognosci non potest, cum afferat tantum eas quas affert Gaisfordius in editione Magni — omisit illas, quas Sylburgius asterisco a fronte praenotavit. Stephano autem usus est auctor Magni (cf. Reitzenstein, Etymologika 5, R. E. VI, 1, 816); de auctoribus Stephani postea videbimus.

Ad haec fragmenta de Thebis et Assyria libri primi chronon accedunt illi loci, quibus Timachidas hoc libro utitur: Fr. 3–8.
primum Xenagoras citatur in cap. 4 de dono Minois, una cum Gorgone Gorgosthene Hierobulo, idemque in cap. 5 de dono Herculis, in cap. 8 de dono Telephi, in cap. 10 de dono Menelai, in cap. 12 de dono Canopi, atque ultimum cum illis in cap. 14 de dono Teucri, quibus de donis supra dictum est, itemque de capp. 15, 16, 26, in quibus Xenagoras cum Fr. 9–11.
uno Gorgone citatur de donis phylarum, Aretacriti, Amphinomi. Inde Xenagoras citatur aut solus aut una cum auctoribus ceterarum classium vel contra eos. Solus citatur in capp. 17, 24, 25, 27, 28, 30, 31, 33, 34; itaque Wilamowitz et Blinkenberg iure contenderunt, ipsum opus Xenagorae lectum esse a Timachida, et Wilamowitz auctores in cap. 5 citatos i. e. auctores classis primae existimat pervenisse in manus Timachidae per opus Xenagorae — qui, ubi tantum

auctores classis primae citantur, excepto capitulo 15 semper primo loco citatur — contra Blinkenbergium, qui Gorgonem putat auctorem illum; equidem sequor sententiam Wilamowitzii atque exceptis epistula Hierobuli, quae Lindi conservabatur, Lindiaco Eudemi, Myronis laudatione Rhodi nullum primae classis auctorem a Timachida puto lectum esse nisi Xenagoram; fortasse librum Gorgonis (de Tim. cap. 15) inspexit. Theotimum classi primae ideo addidi, quod nonnisi una cum ea vel contra eam affertur et dubium est, utrum a Timachida ipso lectus sit (Blinkenberg), an per Xenagoram, qui in capp. illis 10 et 14 in initio ordinis auctorum legitur, ad eum pervenerit. Epistulae autem Gorgosthenis et Hierobuli sacerdotum in plebiscito allatae sunt, quod publica auctoritate erant. In cap. 5 ceteri auctores inter Gorgonem et sacerdotes citati sunt, in cap. 10 Hegesias et Eudemus inter Xenagoram et Gorgonem, ita ut uter eos legerit, Xenagoras an Gorgo, hinc concludere non possimus; qua de quaestione supra diximus. Gorgosthenes Hierobulusque, testes publica auctoritate, ad finem citati sunt in capp. 5 et 10, itemque Hierobulus in cap. 29; Eudemus et Myro citantur in cap. 32, in quo deest Xenagoras: assentior Wilamowitzio dicenti Timachidam eos per opus Xenagorae cognovisse, verum in cap. 32 non excidit nomen Xenagorae, ut postea videbimus, sed encomia Eudemi et Myronis, postquam per Xenagoram cognovit, ipse inspexit Timachidas et invenit traditum de dono ducis Persarum (cap. 32 et D α): his locis Eudemus primo loco citatus est. Sequitur autem, ut supra vidimus, Xenagoram post Gorgonem Hegesiam Phaënnum fuisse i. e. exeunte saeculo tertio vel ineunte altero (cf. Keil, l. c., p. 492), non quarto, ut videtur Blinkenbergio (p. 412/96). De cap. 15 quo traditur de dono phylarum, 16 quo de Aretacriti, 26 quo de Amphinomi, supra dictum est; de versuum auctore postea
Fr. 12. videbimus. In cap. 17 — ultimo ante lacunam, qua perierunt capp. 18—22 —, quo refertur de dono Pancidarum, Xenagoras primum solus affertur; ad ea quae Blinkenberg de

hoc capitulo disseruit, haec addo: Cum Herodotus 2, 161
et 4, 159 tradat exercitum Apriae, regis Aegyptiorum
(anno 570 a. Chr. n., Malten, Cyrene, p. 190) a Cyrenensibus
Batto rege devictum esse, lacunam versus B 116 expleo sic:
Α[*Π' ΑΙΓΥΠΤ*]*Ι*[*ΩΝ ΚΑΙ*]*Σ*[. . .]*ΙΩΝ*; *Σ* . . . *ιων* reliquiae
nominis gentis alicuius Libycae cum Aegyptiis coniunctae
esse possunt; iam Blinkenberg coniecerat missum esse hoc
donum paulo ante annum 570. Sequebatur apud Xenagoram,
ut mihi videtur, cap. 29, quo refertur de donis ab Amasi, Fr. 13.
rege Aegyptiorum, Minervae Lindiae missis. De thorace
eiusque, quae putabantur, reliquiis supra dictum est. Xena-
goras autem de his rebus rettulit in libris primo et quarto,
in primo, cum de templo Lindio ageret, atque post cap.
Tim. 17, quo de clade Apriae agebatur, cui Amasis suc-
cedebat, ac fortasse Timachidas, qui nescivisse videtur Apriam
ab Amasi regno spoliatum esse auxilio Cyrenaeorum — i. q.
e primo libro Xenagorae certe non intellegebatur —, alia
dona interposuit (a . . . et a Cleobulo et a coloniis Lindiis
dedicata), ne eodem tractu donum afferret ab hostibus
Aegyptiorum missum et donum ab Aegyptiis missum; deinde
Xenagoras in libro quarto doni mentionem fecit, cum, ut
videtur Blinkenbergio, p. 412/96, de rebus orbis universi
ageret. Sed tradideritne Xenagoras aurea fuisse signa illa,
quae revera lapidea erant, e contextu Timachidae non
apparet; ac pateras, de quibus Xenagoras tradit, secundum
illa, quae Blinkenberg disseruit ad capitulum primum (B 2),
non a Xenagora fictas esse puto. Auctor Xenagorae
egregie adscriptus est: *Ἱερόβουλος δὲ καὶ αὐτὸς λέγει*, velutsi
diceret Timachidas: „a Xenagora epistula Hierobuli citata
est, sed donum dignum est, ut ipsam legam, et inveni in
illa.“ Tituli in signo Aegyptio non offendunt, titulus autem
Graece scriptus, hexameter dactylicus, fictus esse videtur a
sacerdote quodam Lindio, fortasse ab ipso Hierobulo.

Capitula, quae septimum decimum insequuntur, quinque
perierunt; in cap. 23 Xenagoras non citatus est, at in cap. 24 Fr. 14.
de donis Phaselitarum. Eademque ab ora Asiae minoris Fr. 15.

missum est donum Soliorum, de quo Timachidas egit teste uno Xenagora in cap. 33; in quo tractando non possum, quin moneam de cap. 23, quo traditur Cleobulum expeditione in Lyciam facta Minervae coronam auream dedicavisse, quo in capitulo Xenagoras non citatus est; nam fortasse hoc, de quo agitur in cap. 33, bellum idem fuit ac bellum a Cleobulo in Lycios gestum; atque haud scio an de industria Xenagoras tantum donum Soliorum attulerit; noverat enim coronam auream Minervae Lindiae e praeda Cretensi consecratam (cap. 34).

Fr. 16. In cap. 25 primo de colonia a Rhodiis in Siciliam deducta agitur, citatur primus liber Xenagorae; itaque, cum Macrobius (sat. 5, 19, 30 = fr. 27) de Sicilia tertium librum Xenagorae citet, putandus est Xenagoras de hoc Gelensium dono tradidisse, cum de rebus Rhodiis vel potius Lindiis ageret (non de Sicilia) nisus fortasse sacerdotum quorundam libellis. In capp. 27 et 28, quibus iterum narratur de donis e Sicilia
Fr. 17. missis, iterum solus citatur Xenagoras; cap. 27 traditur de
Fr. 18. dono a Phalaride misso, cap. 28 de dono Dinomenis. Errare autem mihi videtur Blinkenberg, quod dicit hunc Dinomenem confusum esse cum Dinomene maiore, qui dux Teliorum una cum Antiphemo Lindio Gelam condiderit. Antiphemum Lindium condidisse Gelam traditum est ab Herodoto 7, 153, Thucydide 6, 4, Diodoro 8, 23, Pausania 8, 46, Athenaeo 7, 298 A, in scholl. Pind. ad Ol. 2, 16, a Steph. Byz. ad *Γέλα*, de Dinomene tantum in Etym. Magno p. 225 *Γέλα· πόλις Σικελίας . . . ἢ ὅτι Ἀντίφημος ἢ Δεινομένης ὁ Ῥόδιος . . . κατὰ χρόνον εἰς Δελφοὺς παραγενόμενος, ἤκουσεν ὡς δέοι αὐτὸν πρὸς δυσμὰς ἀπιόντα πόλιν κτίζειν, ἐπὶ τῇ ἀπροσδοκήτῳ ἀκοῇ ἐγέλασε. καὶ ἀπὸ τοῦ συμβάντος ὠνόμασε τὴν πόλιν . . .* Praeter hunc Etymologii locum — de quo Ziegler RE. 7, 1 p. 947, 12 dicit „ist deutlich nur eine genealogische Rückprojizierung im Sinne der Deinomeniden“ — nullo loco de Dinomene, quem Blinkenberg Telium dicit, agitur: Herodotus enim dicit de Gelonis Syracusani proavo Telio, cuius nomen non affert, Stephanus Byz. Gelonem appellat; ceteri

de Antiphemo Lindio et Entimo Cretensi tradunt. Equidem Zieglerum sequor, qui Dinomenis filios, tyrannos Syracusanorum, auctores putat famae Gelam a Dinomene quodam conditam esse; quam opinionem sic immuto, ut dicam: Lindios Antiphemo duce, praesertim cum Thucydides tradat veterem Gelensium arcem appellatam esse *Λινδίους*, ac Cretenses Entimo duce et Teliorum parvam manum Gelone duce Gelam condidisse constabat nec poterat negari; itaque temporibus Gelonis et Hieronis scriptores quidam proavum eorum Dinomenem quem appellabant una cum Antiphemo Lindio Gelam condidisse eundemque Lindium esse narrabant. Quam famam, cum tyranni splendidissimi ex urbe Lindo originem ducere traderentur, libentissime excepisse puto sacerdotes Minervae Lindiae, a quibus hunc existimo pendere locum Xenagorae: primo enim in libro de hoc dono agit, non tertio, quo de ipsa Sicilia egisse videtur. Ad illa, quae Blinkenberg de dono ipso dicit, nihil addo. De cap. 30, Fr. 19. quo traditur de dono Agrigentinorum, nihil addo nisi quod puto apud Xenagoram fuisse post ipsum cap. 28, quam ob rem non sequor ordinem Timachidae, de quo dixit Keil p. 491 s. Neque autem dubium est, quin Xenagoras nominatus fuerit in lacuna capituli 31: De Pollide Syracusanorum tyranno aliis locis, ac quae Blinkenberg citat, nihil Fr. 20. invenio; aliusne an hic fuerit ille, de quo scribit Stobaeus (florileg. ed. Meineke 2, p. 367) et quem Holm (Gesch. Siciliens 2, p. 525) eundem dicit ac Gelliam vel Telliam Agrigentinum, de quo narrat Diodorus 13, 83 et 90, incertum est; nomen *Σωσίλας* invenitur in titulo Syracusano IG. 14, inscr. Italiae et Siciliae, 2393, 476 *ΣΩΣΙΛΑ;* non igitur in Sicilia inusitatum erat. — At Pollidem hunc, quem affert Timachidas, tyrannum Syracusanorum, quod vult Blinkenberg, fuisse apud Timachidam minime dictum est. [. . .] *ευς ϑίας τοῦ τυραννεύσαντος ἐν* [*Συρακούσαις ἀγάλμ*]*α*[*τ*]*α* . . . recte supplevisse videtur Blinkenberg, qui *ϑίας* in titulo Rhodio inedito significare dicit idem quod *ϑεῖος* i. e. „patruus"; totus hic locus restitui potest fortasse sic: [*Πόλλις ὁ Δεινο-*

μέν]ευς ϑίας . . ., quae genetivi forma in titulis Rhodiis saepissime invenitur. Dinomenes autem paulo antea (cap. 28) nominatus erat ut vir summae auctoritatis „*ὁ Γέλωνος καὶ Ἱέρωνος καὶ Θρασυβούλου καὶ Πολυζάλου πατὴρ Λίνδιος ὑπάρχων καὶ συνοικίξας Γέλαν μετὰ Ἀντιφάμου*". In hoc capitulo ipse est tyrannus Syracusanorum; nec vero ipse hoc donum mittit, sed consanguineus eius, cuius nomen illustratur nomine illius allato. Xenagoras hic usus esse videtur libellis sacerdotum Lindiorum, quorum multum intererat Dinomenem primum Lindium fieri, deinde Gelae conditorem, tum tyrannum Syracusanorum: ex hoc fonte titulum quoque, qui in dono incisus est, prodisse puto. Tempus doni, si nomen Dinomenis supplemus, idem est, quod suspicatur Blinkenberg: sub finem saeculi sexti. Ad lacunam versus C 63, qua perierunt circiter 15 litterae, sarciendam Hiller de Gaertringen (Berl. phil. Wochenschr. 1913, p. 1416 n. 1) recte proponit *Λινδί[αι εὐχάν, αὐτός τ' ἠδ' υ]ἱώ.* — In cap. 32, quo narratur de donis a duce Persarum dedicatis, nomen Xenagorae non excidisse (cf. Wilamowitz, p. 43) postea demonstrabo, cum ad cap. D *a* (de primo adventu Minervae) venero.

Haec viginti fragmenta certum est e primo libro Xenagorae excerpta esse. Sed secundum illa, quae existimo de Xenagorae fontibus Rhodiis, primo libro Chronon adscribo illa quoque Timachidae capitula, quibus Gorgonem,
Fr. 21, 22. Gorgosthenem, Hierobulum solos auctores citat: cap. 1, quo traditur de dono Lindi, cap. 2, quo traditur de dono Telchinum; cur vero non nominatus sit in his capitulis, sic intellego: Timachidam e libro Xenagorae haec capitula excerpsisse et primo eos tantum auctores attulisse, quos illic inveniebat citatos; post cap. 3 — in quo Xenagoras non citatur; nam apud auctores suos, qui Ialysiorum et Camirensium fabulas vitant, de dono Cadmi nihil inveniebat — semper fere una cum illis citatur; excidit nomen in capitulis 6, 9, 11, 13. Blinkenberg quidem, qui Xenagoram auctorem fuisse putat Gorgosthenis et Hierobuli, haec illorum capitula, quibus deest Xenagoras, per se potuisse

dicit in mentem venire sacerdotum (p. 412/96). In cap. 7 nimis mutilato Xenagoram non allatum fuisse inde apparet, quod Ξεναγόρας ἐν . . . plures litterae sunt, quam quae quadrent in lacunam versus B. 45. Capitula autem 6, 9, 11, 13, Fr. 23—26. quibus traditur de donis Tlepolemi, militum Tlepolemi, Helenae, Merionis auctoribus Gorgone Gorgosthene Hierobulo, optime quadrant in primum librum Xenagorae, in quo traditum est de Telepho, Menelao, Canopo, Teucro (Tim. capp. 8, 10, 12, 14): modo omisit, modo scripsit nomen Xenagorae, ut dissimularet omnia se ab illo habere.

Quibus locis additis videmus Xenagoram in primo libro Chronon egisse de Aegypto antiquissima (fr. 1), Assyria (fr. 2), de rebus Rhodiorum v. p. Lindiorum (fr. 3—26); ea enim capitula, quibus apud Timachidam narrat historiam fabularem (cap. 1, 2, 4, 5) quibusque de rebus circa bellum Troianum gestis (cap. 6—14), quibus de Asiae minoris incolis ad oram maritimam habitantibus (cap. 24 et 33) quibusque de coloniis Siciliae et Magna Graecia (cap. 25—28, 30, 31), de Cyrena et Aegypto (17 et 29), e partibus Rhodiorum scripta sunt. Reprehenditur autem Xenagoras ob titulos donis incisos, quos ipse finxisse putatur: traditi sunt tituli in capp. 1, 2, 4—17, 24—31, 33, 37—42, in cap. 40 contextus tituli excidit; desunt in cap. 3, quod a solo Polyzelo, 23 quod a Timocrito et Polyzelo traditum est, 32 cui Xenagoras deest, Dα et [Dβ] et 34 ubi liber 4 Xenagorae citatur, 35 et 36 quod a solo Agelocho traditur; in capp. 37—42, quae non a Xenagora tradita sunt, sed in actis Lindiis, q. v. *χρηματισμοί*, titulos legimus. Primum de titulo monet Blinkenberg in cap. 10, *Μενέλας τὰν Ἀλεξάνδρου* docet ex auctore haustum esse a Timachida, ipsum scribere non *Μενέλας* sed *Μενέλαος;* equidem puto utramque formam a Timachida ex auctore sumptam esse; affertur enim nomen Menelai eadem forma *Μενέλαος* ad donum quoque Canopi (cap. 12) auctore Xenagora; Xenagoras veterem nominis formam Rhodiam, quam in catino illo legimus, in quo Hector et Menelaus de corpore Euphorbi dimicantes picti sunt (saec. 7), scriptam

invenit apud auctores suos, ipse scripsit *Μενέλαος*, idemque formam Doricam *Ποτειδᾶνι* (cap. 12) apud auctores suos invenit et *Ἄρετος* (cap. 16), cum ipse scriberet *Ἀρετάκριτος*. In capitulo autem 15 primo versus metrici donis additi sunt; cum in hoc capitulo et in cap. 26 solis Gorgo ante Xenagoram citatus sit, illum a Timachida inspectum unius alteriusve versus auctorem esse puto. Ad donum Aretacriti (cap. 16) iterum versus adscriptus est, pentameter contra artem compositus *Παλτοῦ Ἄδραστος ἔθηκε ἆθλον ἐπ' Αἰγιαλεῖ*, quem ex opere Xenagorae sumpsit; ab eo fictum esse minime verisimile est, sed haustus est e Gorgone aliisve auctoribus Rhodiis, ut mihi videtur e libellis sacerdotum Lindiorum: sic Herodotus, assectator oraculi Delphici, prodit 1, 51 sacerdotem quendam Delphicum titulum in aureo illo aspergillo, quod a Croeso donatum erat, incisum Lacedaemoniorum gratia mutavisse nomine illius eraso inciso horum. Atque quaero, Xenagoras si versus falso interpolavit, cur non ad omnia dona versus finxit! quod de sacerdotibus quaeri non potest, cum in numero eorum alii titulos metricos alii pedestres finxisse possint: *Ἄρετος* autem formam breviorem falso ad *Ἀρετάκριτος* relatam esse a Xenagora notat Wilamowitz (p. 43) eundemque, cum crateram ad echineam adderet, mentitum esse; neque autem aliter res se habere mihi videtur atque in cap. 10; ut ibi apud auctores suos, sacerdotes Lindios, *Μενέλας* in titulo doni invenit traditum, sic hic *Ἄρετος*, cum ipse scriberet *Μενέλαος* et *Ἀρετάκριτος*; mentitus esse mihi non videtur, sed ut in vasibus argenteis saepius nomina et eius, cui primo et eius, cui post erant, incisa sunt — cf. Fondation Piot, Monuments et Mémoires 5, Paris 1899, Héron de Villefosse, Le trésor de Boscoréale n. 17 p. 84: vas, quod fert tres titulos, primum punctis incisum „M. Atti Clari . . .“, deinde levibus lineis „Holconi“, tum accuratius „Cal. Sat.“ cf. n. 18 p. 85; quae quamquam exempla aetatis Romanae sunt, tamen apud Graecos haud defuerint —, ita hoc loco Xenagoras consuetudinibus aetatis suae confisus tradidit, quod invenit apud auctores, arbitratus

„*Παλτοῦ Ἄδραστος ἔθηκε ἆθλον ἐπ' Αἰγιαλεῖ*“ ab eo qui ludos edidit incisum esse, „*Ἄρετος καὶ παῖδες Ἀθάνᾳ Λινδίᾳ δεκάταν ναὸς τᾶς ἐκ Κρήτας*“ ab illo, qui crateram Minervae dedicavit. Eadem ratio esse videtur doni Phalaridis (cap. 27), quod et ipsum duos titulos fert auctore uno Xenagora. Itemque Blinkenberg scribit „Das weihgeschenk angeblich (vergl. die anm. zu B 101) aus einem altberühmten gefäße mit neuem untersatze gebildet.“ Sed effugisse eum videtur: in cap. 16 crateram Aretacriti pedem firmum — *πυθμένα* — et scutellam non agglutinatam — *ἐχινέαν* — habere, crateram vero Phalaridis nihil nisi pedem scilicet craterae agglutinatum. Titulorum alterum (trimetrum iambicum) a Xenagora fictum, alterum (pedestrem) ex opere Gorgonis excerptum esse putat Blinkenberg; uterque a Xenagora ex auctoribus haustus est. Titulus doni Amphinomi (cap. 26) — in distichum versus — et titulus doni Dinomenis (cap. 28), quamquam a solo Xenagora traditi sunt, Blinkenbergium non offendunt: titulos donorum Syracusanorum Xenagoras ex eodem auctore prompsit ac dona. In cap. 27 ad donum Phalaridis traditus est trimeter iambicus „*Δαίδαλος ἔδωκε ξείνιόν με Κωκάλῳ*“; in capitulo autem 13 auctor usus est versu Iliadis N, 249 „*Μηριόνη Μόλου υἱέ* . . .“, quo e loco apparet ratio illius, qui versus finxit donis incisos; hunc vero non Xenagoram esse inde intellego, quod iis locis, quibus quartus liber illius citatur, tituli non afferuntur (cap. 34 et D *a*), semper vero ubi Gorgosthenes Hierobulusque et Gorgo citantur.

Secundi libri Chronon nullus locus citatus est, unum e Liber 3
libro tertio citat Macrobius sat. 5, 19, 30 ad versum aliquem Fr. 27
„Aetnarum“ Aeschyli (Müller, F. H. G. 4, 526 n. 3): „sed et Xenagoras in tertia historia sua de loci divinitate“ — i. e. Paliciorum in Sicilia — „ita scribit *καὶ οἱ Σικελοὶ τῆς γῆς ἀφορούσης ἔθυσαν Πεδιοκράτει τινὶ ἥρωϊ προστάξαντος αὐτοῖς τοῦ ἐν Παλικῶν χρηστηρίου καὶ μετὰ τὴν ἐπάνοδον τῆς εὐφορίας πολλοῖς δώροις τὸν βωμὸν τῶν Παλικῶν ἐνέπλησαν*“. Quo de loco G. Wissowa (De Macrobi sat. font. dissert. Vratisl. 1880, p. 48) qui solus de hoc loco disserit, dicit „horum (Polemonis,

Xenagorae) testimonia omnia ab uno scriptore, quem expilat Macrobi auctor, in interpretationem versus Aeschylei collecta esse tantum non certum est. Ad Didymum bene quadrant Xenagorae et Polemonis mentiones, quorum priorem (qui omnino raro citatur) advocat Didymus etiam in fragmento, quod est apud Harpocrationem, p. 115, 13.“ Verisimile est Macrobium hunc locum ex opere pleno Athenaei excerpsisse, cuius nos tantum epitomam habemus; ille autem per Pamphilum e Didymo hausit. De Pediocrate nemo praeter Xenagoram refert nisi Diodorus 4, 23, 5: Herculem redeuntem cum bubus Geryonis Siculorum magnas copias, atque in his Leucaspin Pediocratem Bouphonam Glychatam Bytaeum Crytidam, vicisse et occidisse. — Solo hoc loco ipsius verba Xenagorae habere videmur. Cum plura non allata sint e libro 3 Xenagorae, non liquet, de quibus rebus ante et post egerit: sed cum hoc loco, ut videtur, historiam fabularem narret, verisimile est eum complura in hoc libro de Sicilia scripsisse; nam primo quoque in libro ab historia fabulari usque ad Dinomenem Gelonis patrem egit. Itaque conicio maiorem partem libri tertii fuisse de Sicilia vel totum de terris et maribus ad vesperum vergentibus; sic huic libro duo fragmenta tribuo, alterum a Muellero e libris
Fr. 28. incertis notatum, alterum libro 1 tributum. Alterum (Muelleri 6, e libris inc.) exstat apud Dionysium Hal. (arch. Rom. 1, 72, p. 183 R) . . . *Ξεναγόρας δὲ ὁ συγγραφεὺς Ὀδυσσέως καὶ Κίρκης υἱοὺς γενέσθαι τρεῖς, Ῥῶμον Ἀντίαν Ἀρδίαν· οἰκίσαντας δὲ τρεῖς πόλεις ἀφ' ἑαυτῶν θέσθαι τοῖς κτίσμασιν τὰς ὀνομασίας.* Eadem a Georgio Syncello (p. 193 A) et Eusebio (Chron. p. 205, ed Schöne, p. 278 v. 32) iisdem verbis tradita sunt. i. e. excerpta e Dionysio, eademque a Stephano Byz.: *Ἄντεια· πόλις Ἰταλίας ὑπήκοος Ῥωμαίων, ἐκλήθη δὲ ἀπὸ Κίρκης παιδός· „Ὀδυσσέως γὰρ καὶ Κίρκης υἱοὺς γενέσθαι τρεῖς, Ῥῶμον Ἀντίαν Ἀρδίαν,* quamquam nomen Xenagorae deest. Itemque per auctores suos a Dionysio pendet Pompejus Festus, a quo (p. 329 ed. Lindsay) multae de ea re narrationes traditae sunt — locus autem valde corruptus est —; Xenagoras cum nullo

auctore consentit, sed singulariter citatur, a Dionysio contra Calliam Syracusanum, qui Agathocle rege libros 22 de illo scripsit. Hoc quoque loco Xenagoras mihi videtur rationem Callimachi (cf. Kentenich, anal. Alex., Diss. Bonn. 1898, p. 26) secutus nomina urbium insularumque deduxisse a nominibus virorum et mulierum atque contaminavisse has narrationes cum fabula Telegonia. Praeter ea hoc fragmentum maioris momenti est ad aetatem Xenagorae definiendam: nam quamquam Blinkenberg, p. 412/96 optime quadrare dicit ad aetatem sui Xenagorae, i. e. ad saeculum 4, tamen ante saeculum tertium nullus auctor de Romanis scribere potuit. Dionysius autem Halicarnassensis opus Xenagorae Rhodii legisse potest.

Alterum, quod huic libro adscribo — primo Mueller, n. 2 — fragmentum exstat in scholiis ad Apoll. Rh. Arg. 4, 264: *Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται*] . . . *τινὲς δέ φασιν Ἐνδυμίωνα εὑρηκέναι τὰς περιόδους καὶ τοὺς ἀριθμοὺς τῆς σελήνης, ὅθεν καὶ προσελήνους τοὺς Ἀρκάδας κληθῆναι. ἔνιοι δὲ ὑπὸ τοῦ Τυφῶνος. ὑπὸ δὲ Ἄτλαντος καὶ Ξεναγόρας εἴρηκεν.* Idem locus Xenagorae citatur in scholiis ad Aristoph. nubb. v. 397 ed. Dindorf — omisit Rutherford — p. 455/56 annot: „in Aldina ad *βεκκεσέληνε* hoc exstat scholion *Σεσόγχωσις ὁ βασιλεὺς τῶν Αἰγυπτίων* . . .“; sequitur narratio de infantium voce *βεκ* et de Arcadibus proselenis atque ad finem locus ille Xenagorae. Dindorf putat Musurum Cretensem hoc scholion e scholiis Apollonianis excerpsisse; iniuria, ea quae ad Argon. 4, 262 in scholiis ex Herodoto (2, 2) de Psammeticho excerpta sunt, in scholio Aristophaneo longe aliter et Sesonchose rege nominato reddita sunt, compluresque loci non consentiunt; itaque e fonte communi cum scholiasta Apollonii hunc commentatorem Aristophanis hausisse puto. Libro tertio hoc fragmentum adscripsi propter Atlantem, de quo hoc loco apud Xenagoram agi videtur (non de Arcadibus et Endymione); de hac Atlantis caeliferi explicatione cf. Wernicke, R. E. II, 2, 2125: Atlas. Locus autem totus mancus est; primum enim *ὑπὸ δὲ Ἄτλαντος* non quadrat ad *εὑρηκέναι*, Fr. 29.

sed verbum passivum desideratur; tum verbum *καὶ* post *Ἄτλαντος* sic intellegi non potest; itaque delevit Mueller: notat, non medetur damno: duabus rationibus damnum sarciri potest: aut litterae *και* sunt reliquiae verbi ⟨*εὑρεθῆ*⟩*ναι* aut post *Τυφῶνος* infinitivus passivi complendus est et post *Ἄτλαντος καὶ* nomen aliquod fortasse sic: *ἔνιοι δέ* ⟨*φασιν*⟩ *ὑπὸ τοῦ Τυφῶνος* ⟨*εὑρεθῆναι αὐτούς*⟩, *ὑπὸ δὲ Ἄτλαντος καὶ* ⟨. . .⟩ *Ξεναγόρας εἴρηκεν.*

Liber 4 Non iam libro tertio, sed libro quarto adscribo frag-
Fr. 30. mentum Muelleri 7, quod tradit Plin. n. h. 7, 56, 207/8 „longa nave Iasonem primum navigasse Philostephanus auctor est, Hegesias Paralum, Ctesias Semiramin, Archemachus Aegaeonem, biremem Damastes Erythraeos fecisse, triremem Thucydides Aminoclem Corinthium, quadriremem Aristoteles Carthaginienses, quinqueremem Mnesigiton Salaminios, sex ordinum Xenagoras Syracusios, ab ea ad decemremem Mnesigiton Alexandrum Magnum, ad duodecim ordines Philostephanus Ptolemaeum Soterem, ad quindecim Demetrium Antigoni, ad 30 Ptolemaeum Philadelphum, ad 40 Ptolemaeum Philopatrem, qui Trypho cognominatus est". Quamquam de Sicilia agitur, tamen magis verisimile est haec e libro 4 fluxisse, quo de rebus totius orbis — ut mihi videtur, ab initiis regni Persarum — egit; ac secundum ea, quae e titulo Lindio de fine operis Xenagorae intellegimus, concludere possumus hoc fragmentum esse libri ultimi; Aelianus enim (v. h. 6, 12) tradit Dionysium minorem naves sex ordinum — scl. primum — exstruxisse; itaque cum cetera fragmenta non ad illius aetatem descendant, hunc locum Plinius videtur excerpsisse ex ultimo, i. e. e quarto libro Xenagorae. Nec vero ipse Plinius hoc opus legerit. Illum locum, quo Xenagoram citat de Sphecia et Cerastia (5, 31, 35), Oehmichen (Plinian. Studien, p. 8) docet insertum esse a Plinio ex opere Isidori, cum librum iam confectum retractaret, auctoremque esse Graecum sequi inde, quod 4, 120 citatur „. . . nostri Tarteson appellant, Poeni Gadir ita Punica lingua saepem significante", quamquam Tarteson Romani

Cartejam appellaverint, ita ut auctorem Graecum temere verterit. Atque Kentenich (Analecta Alexandrina, Diss. Bonn. 1898, p. 8 s.) existimat hunc fontem esse librum quendam „de insulis" inscriptum, id quod probant Klotz (quaest. Plin. geogr., p. 26 apud Sieglin, Quellen und Forschungen zur alten Geschichte, Heft 11) — at Isidoro ea falso tribui dicit, p. 26[1] — et Frick (B. ph. W. 1908, 1498/99). Non multum huic loco prosunt ea, quae disseruit Rabenhorst (Philol. 65, 1906, p. 567—603 et in libello „Der ältere Plin. als Epit. des Verr. Flacc.", Berl. 1907) auctorem, e quo maiorem partem libri 7 hausit, fuisse Verrium Flaccum.

Sed nominatim quartus liber Xenagorae citatur ab Harpocratione (ed. Dind. 1, p. 184) *Κραναλλίδαι· Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος. Δίδυμός φησι δεῖν γράφεσθαι Κραυγαλίδαι, οὕτω γὰρ λέγεσθαι τὴν ἐν Φωκεῦσι πλησίον Κίρρας χώραν Κραυγάλλιον, ὡς καὶ Ξεναγόρας ἐν δ' χρόνων λέγει*; supervacanea nunc est coniectura *ἐν δ' Κωμῶν* (cf. Dind. ed. Harp. 2, p. 312). Ambigitur de nominis Craugalidarum forma (cf. Weidner, Aesch. Rede gegen Ctesiph., ad § 107 et 108); sequor autem H. Sauppium (ep. crit. ad G. Hermannum, 54 sq. = Sauppes ausgew. Schrr., 113 sq.) scribentem *Κραυγαλίδαι*. Hoc vero constat Didymum recepisse formam a Xenagora traditam. Quodsi Blinkenberg, p. 412/96 recte coniecit de clade Craugalidarum — primo in bello sacro circa annum 586 — hoc fragmentum excerptum esse videtur ex initio libri quarti —. In lexico Bekkeriano 5, cuius glossae rhetoricae ex eodem fonte haustae sunt ac lexicon Harpocrationis (Cohn, Unters. über die Quellen der Platoscholien, p. 826 s., Wentzel, Sitzungsber. Berl. Ak. 1895, p. 483) nil de Craugalidis est; auctor autem ille communis, e quo saeculo 2 p. Chr. Harpocratio hausit, est Didymus, quem ipse citat, atque Didymus ipse legisse potest opus Xenagorae; ille vero scripserit *ὡς Ξ. ἐν δ' χ. λέγει*; verbum *καὶ* post *ὡς* tribuendumne sit Harpocrationi an interpolatori, dubito. Fr. 31.

Timachidas e libro 4 Xenagorae quattuor locos excerpsit: Fr. 32.
de dono Amasis iam in libro 1 tradiderat: qua e ratione idem

duobus in libris describendi conicere licet dispositionem librorum priorum aliam fuisse ac libri quarti; primo in libro auctoribus sacerdotibus Rhodiis haec narravit, cum templum Lindium describeret, quarto, cum de rebus orbis totius ageret, certe ut de Craugalidis in initio libri.

Fr. 33. Capitulo 34 Timachidas tradit coronam auream dedicatam esse a Lindiis e praeda Cretensi uno testimonio libro 4 Xenagorae; scribo enim cum Blinkenbergio Δ pro Λ (non A). Blinkenberg hanc coronam et coronam a Cleobulo dedicatam (cap. 23) unam eandemque putat et p. 412/96 temporibus antiquissimis tribuit — propter hunc locum et cap. 29 et D 56 dicit p. 418/102 sq. „. . . Xénagoras, qui offre quelquefois des renseignements bizarres et apocryphes . . ." —, sed in cap. 23 scriptum est *τῷ ἀγάλματι χρυσέαν στεφάναν* et in cap. 34 . . . *δεκάταν τάν τε χρυσέαν στεφάναν* i. e. „hanc, quam conspicitis in capite deae coronam". Statuam Minervae priscam una cum ornamentis quarto a. Chr. saeculo incendio perisse Blinkenberg ipse monet ad hunc locum, idemque ad cap. 35, quod insequitur, monet post illud incendium statuam ornamentaque restituta esse: huc igitur spectant capitula 34, 35, 36. Corona autem e praeda Cretensi dedicata post incendium templi consecrata est pro illa, quam Cleobulus dedicaverat; itaque Xenagoras mihi videtur rem iustam tradidisse. Vetus autem fuisse foedus inter Rhodios Cnossiosque monet Gelder, p. 117 atque tertio saeculo Rhodios in Creta rem gessisse certe socios Cnossiorum.

Fr. 34. Eodemque in libro quarto Xenagoras tradidit de primo adventu Minervae (Tim. cap. D *α*); Wilamowitz (Arch. Anz. 1913, p. 43) et Blinkenberg (p. 379/63 ss., 396/80 s., 419/103 s.) hoc capitulum et cap. 32, quo de donis [. . .] ducis Persarum traditur, cum cap. 35 quo de donis Artaxerxis traditur comparant; Wilamowitz totam commenticiam et dona Datidis et [. . .] e donis regis Artaxerxis ficta esse iudicat. —

Qua in narratione cum scriptum sit Δαρείου ἐκπέμψαντος et (D 26) Δᾶτις . . ., apparet res hoc loco narratas gestas esse anno a. Ch. n. 490. Itaque Blinkenberg p. 380/64ss. Herodotum secutus ea, quae annis 492 et 490 a Persis gesta sunt, explicat: Persas primo Rhodum naves appulisse verisimile esse dicit neque Rhodios, quamquam tum aut iamdudum sub imperio Persarum essent aut legatis Darei, quibus cum ceteri tum Aeginetae se dedidissent, terram et aquam dedissent, tamen conspectu sescentarum navium illarum tantarumque copiarum conspectu territos in loca munita fugisse negat, cum Delii quoque, quibus Persae parcerent, in proximam insulam et Naxii, qui ab Atheniensibus starent, in montes confugissent. Sed plurimos Lindum confugisse non verisimile est, cum in duobus illis Lindiorum portibus, praesertim in maiore, naves hostium deligari (cf. Gelder p. 11) et milites ad terram exponi possent. Oppidi autem oppugnationem ob causas supra allatas (ad D. 5—7) fictam esse dicenti oppono non mirum esse Herodotum, cuius patria Halicarnassus e societate illorum sex oppidorum Doricorum (Her. 1, 144) eiecta erat, rerum a Rhodiis gestarum nullo loco mentionem fecisse; quamquam afferuntur nomina: Rhodus, Lindus, Ialysus, Camirus, Cos, Cnidus compluribus locis, non tamen afferuntur facta fortia: afferuntnr ἡ κατὰ Ῥόδον θάλασσα 1, 174, sex illa oppida Dorica, quorum e numero Halicarnassus eiecta est 1, 144, Cnidus in describenda regione 1, 174, Rhodus et Cnidus in numero earum civitatum, quarum incolae in Aegypto condiderunt aram τὸ Ἑλλήνιον 2, 178, donum quod Amasis (cf. Tim. 29) Minervae Lindiae misit (ξεινίης μὲν οὐδεμιῆς ἕνεκεν) 2, 182 et 3, 47, Cnidii in historia Gilli exsulis Tarentini 3, 138, iidemque in describendis rebus Arcesilai, regis Cyrenaeornm 4, 164, Cei in numero eorum qui sub dominatione Artemisiae erant 7, 99, denique Rhodii et Cei 7, 153 et 164 in describendis locis rebusque Siculorum. Ad hunc Herodoti in Rhodios ceterosque animum pertinere mihi videtur ille quoque locus, quo Herodotus tradit (1, 174)

Cnidios ab oraculo Delphico vetitos esse isthmum diffodere; quamquam oraculum Delphicum illis temporibus omnes Persis se dedere iubebat, tamen Herodoto id responsum ob inimicitias datum esse videtur; atque de malignitate Herodoti non solum Plutarchus, sed etiam Marcellinus in vita Thucydidis (ed. Bekker p. 5, 22—23) monuit. Neque etiam classem Persarum non diu apud Rhodum insulam moratam esse, cum ibi res gerendae non fuissent, iustis de causis contendere mihi videtur Blinkenberg; nam si qua insula vel quod oppidum non tradebatur, aggrediebantur Persae; qua in condicione fuerunt Naxii (Her. 6, 98), Carystii (6, 98), Eretrienses (6, 101) — quorum oppidum per sex dies oppugnabatur —, qui oppidis templisque ab hoste dirutis in servitutem ducebantur. Ac ne Rhodios quidem intactos mansisse a dominis Asiae satis putaverim afferre Maussoli et Artemisiae exempla (Gelder 93 s.). Blinkenberg, qui Lindum obsessam esse negat, errorem Lindiorum, qui Persas hostes putarent, per legatos sublatum esse putat aliasque eiusdem generis fabulas affert. Atque insolentius quam Rhodii gloriabantur Naxii, quorum scriptores (cf. Plut. de Her. mal. 36) primum Megabatem, legatum Datidis, deinde Datidem ipsum a Naxiis repulsum esse scripserunt. Lindios igitur sic, ut scribit Timachidas, evasisse recte negatur.

Dona autem Datidis et [. . .] (cap. 32), cum Persae, ut sociorum animos sibi conciliarent, delubris deorum parcerent, vere data esse docet Blinkenberg atque his utitur exemplis: in catalogo Delio (Michel, receuil d'inscriptions gr. n. 833 v. 95 s.) scriptum est: „*στρεπτὸν χρυσοῦν . . . Δάτιος ἀνάθημα· ὁλκὴ δραχμαὶ τριακονταπέντε*", quod donum unum superfuisse putat a dono maximo, demonstrans Datidem in insula Delo turis ingentem copiam sacrificasse (Her. 6, 97); deinde in lapide invento inter Tralles et Magnesiam (Dittenb. syll.[2] n. 2) incisum videmus Gadatam quendam a Dareo vituperari, quod sacerdotibus Apollinis iniuriam intulerit; tum Diodorus 5, 63, 1 tradit Persas templo Hemitheae Rhodiae pepercisse. Quae iure mihi videtur afferre Blinkenberg, at Datidem copias in

templum vel potius in urbem non immisisse non inde intellego ut Blinkenberg p. 484/68, quod Datis metuerit, ne iterum id quod in oppido Boeotiae Delio fieret (cf. Her. 6, 118); nam ab insula Rhodo in Boeotiam, non inde Rhodum profectus est. Dona autem haec, ubi aliquis cum donis Artaxerxis et [. . .] ducis Persarum (cap. 32) comparaverit, simillima esse cognoscet (cf. Blinkenberg, p. 396/80). Quam ob rem Wilamowitz dona Datidis et [. . .] ficta esse dicit e donis regis Artaxerxis; sed dona regis singula non omnia eadem sunt ac dona illorum, dona autem Datidis eadem sunt ac dona capituli 32; atque ut Blinkenberg demonstrat, miraculum primum exceptis Ergia et Xenagora ab iisdem auctoribus traditum est ac donum 32. Xenagoras autem apparuisse deam, ut scribit Timachidas, tradidit, at „Mardonio a Datide misso"; itaque sententiam Blinkenbergi Timachidam apud omnes auctores donum 32 una cum Datidis traditum invenisse, sic immuto, ut dicam apud Xenagoram solum eodem loco et eodem nomine allato traditum fuisse et donum 32 et donum *D α*; neque vero, ut suspicatus est A. Rehm (Deutsche Literaturz. 1913, p. 2590, cf. Blink. ad C 65) [*Δᾶτις ὁ Δαρείου στ*]*ραταγός* suppleo lacunam cap. 32, sed [*Μαρδόνιος ὁ στ*]*ραταγὸς;* Blinkenberg, qui 15 litteras excidisse notat, ipse tredecim supplet [*'Αρταφέρνης ὁ στ*] . . , duodecim ego supplevi, cum in initiis horum versuum numerus litterarum accurate statui non possit. Mardonium autem a Xenagora errore traditum esse dicit Blinkenberg; cui a rege imperium abrogatum esse biennio antea ob res male gestas (Her. 6, 94). Sed H. Weltzhofer (Zur Gesch. der Perserkriege, 1. Der Kriegszug des Mard. i. J. 492 v. Chr. in Fleckeis. Jahrb. f. Phil. 143, 1891, p. 145 ss.), ut mihi videtur, non iniuria, docet Mardoni expeditionem non contra Graecos, sed in Thraces Macedonesque factam esse neque Mardonio imperium ob res male gestas abrogatum esse, quippe qui anno 480 cum Xerxe in Graeciam profectus post discessum Xerxis summus imperator Persarum fuerit. Hunc agmen Datidis quoque secutum esse existimo; nam apud Plutarchum

(de Her. mal. 36) invenimus legatum Datidis Megabatem, cuius Herodotus exceptis tribus locis libri quinti (32, 33, 35), qui ad has res non pertinent, mentionem non fecit. Ac verisimile est Mardonium, cum Datis et Artaphernes cum classe in Graeciam navigarent, ad Asiae oram maritimam res gessisse; nam vere anni 492 postquam e Ciliciae portibus provectus (Her. 6, 43) in Ioniam venit, tyrannis expulsis Ionum animos sibi conciliavit. Ex his igitur causis res sic accidisse existimo anno 490 in insula Rhodo et ad oppidum Lindum: Datis naves ad insulam Rhodum appulit et Lindum, quo ii qui circa habitabant confugerant, cum parva parte copiarum adortus tempestate vehementissima repente coorta coactus est naves celerrime ab insula deducere, ne idem detrimentum ac Mardonius antea acciperet; tum vero, ut ad insulam Naxum (si Plutarcho hucusque fidem habere possumus) Megabatem praemisit, ita Rhodios Mardonio subigendos tradidit et ipse vitata ora Asiae per altum mare Eretriam petivit. Blinkenberg p. 382/66 errorem Lindiorum per legatos a Datide missos sublatum esse existimat; hoc dicenti hactenus assentior fuisse errorem, sed non solum penes Lindios sed etiam penes milites a Datide missos, quippe qui vel quorum commilitones ex Apollinis templo, quod in oppido Boeotiae Delio erat, simulacrum auratum insciente Datide deportassent (Her. 6, 118); hic error a Mardonio, quem agmen Datidis secutum esse conicio, sublatus est atque ab eodem velutsi reconciliandi causa sociorum animos a Datide offensos dona illa, quae tradita sunt et cap. 32 et cap. Dα, Minervae consecrata sunt. Utrumque enim donum unum idemque dico, non idem donum regis Artaxerxis. Ut supra dixi, donum 32 exceptis Ergia Xenagoraque ab iisdem scriptoribus ac donum Dα traditum est et excepto Hieronymo etiam eodem libro. De dono Artaxerxis quinque scripserunt; quorum tres et de Datide et de dono 32 narraverunt, sed Ergias de Datide in libro primo (non libro Δ sed A, ut docet Blinkenberg, p. 419/103 de Hierone), de Artaxerxe in libro 3 tradidit, Timocritus de Datide

et [Mardonio] in primo, de Artaxerxe in libro 2; de Hierone idem dico quod de Ergia; videmus igitur de Datide et de dono 32 duobus exceptis ab iisdem auctoribus et uno excepto ab omnibus eodem libro scriptum esse, de Artaxerxe a nullo in eodem libro ac de illis. Praeterea doni Artaxerxis dimidia pars a Datidis et dono 32 discrepat, ut demonstravit Blinkenberg, p. 396/80. Itaque quod supra dixi Timachidam apud neminem nisi apud Xenagoram primum miraculum eodem loco et uno nomine allato traditum invenisse ac donum 32, nunc a nullo nisi a Xenagora rectum nomen traditum esse dico. Cum ceteri donum [Mardoni] anno 492, adventum deae et donum Datidis anno 490 ponerent, ita ut ex uno dono duo facerent — hoc vel inde apparet, quod Hieronymus de dono [Mardoni] in libro 1, de Datidis in libro 2 rettulit —, Xenagoras tantum de dono Mardoni anno 490 dedicato scripsit; itaque in cap. 32 non errore Timachidae nomen illius excidit. Donum autem illud, quod putabatur consecratum esse a Datide, Timachidas in indicem donorum non recepit, cum ad miraculum id afferri opus esset.

Restat denique, ut illa dona, de quibus una cum miraculo primo traditum est, singula a donis capituli 32 minime discrepare ostendam vel potius tabulam, quam Blinkenberg p. 396/80 explicat, rectius suppleam; miraculum primum sine lacuna traditum est, non cap. 32: versum C. 65 supplevi [*Μαρδόνιος ὁ στ*]*ραταγὸς τοῦ Περσᾶν βασιλέως;* liquet, qui rex Persarum significetur, cum Mardoni nomen posteris quoque cognitum fuerit. Deinde in supplendo versu C. 66 sequor Boissevainium, qui in epistula ad Blinkenbergium data (cf. ad D 8 et 9) [*πορφυρέαν χλαμύδ*]*α* monet scribatur; nam in verbis quae mavult Blinkenberg supplere [*Δαρείου ἐνωτίδι*]*α* superfluum mihi videtur *Δαρείου*, et *ἐνωτίδια* minus aptum quam *χλαμύδα.* Quae postquam emendavimus, dona quamquam diverso ordine enumerata tamen eadem esse demonstrat conspectus huius tabulae:

donum 32	D*a*	donum 35
πορφυρέα χλαμύς	*φαρεός*	*στρεπτός*
στρεπτός	*στρεπτός*	*τιάρα*
τιάρα	*ψέλια*	*ἀκινάκας*
ψέλια	*τιάρα*	*ψέλια*
ἀκινάκας	*ἀκινάκας*	*βασιλικὰ στολά*
ἀναξυρίδες	*ἁρμάμαξα*	
ἁρμάμαξα		

Desunt in D*a* tantum bracae. — Postea ad haec capitula redibimus; hoc loco fusius de iis egi Xenagorae causa, ut restituerem ea, quae hoc loco scripsit.

Fr. 35. De altero adventu Minervae Xenagoras iterum cum compluribus aliis auctoribus citatus est; verum illa ipsa littera versus D 90 deest, quo liber Xenagorae nominatur, atque desunt alii quoque auctores, in quibus si forte Gorgosthenes et Hierobulus fuerunt, liber primus restituendus est. Sed cum Timocritus, qui de ducibus Persarum altero, de hac re tertio in libro tradiderit, in quarto de Ptolemaeo Philadelpho (cap. 37), et anno 305 Minerva tertium appareat, certe inter saecula 5 et 3 fuit haec calamitas — de simili calamitate tradit Plut. Per. 13 —; itaque priusquam certius testimonium inventum est, ob tempus et locum, quo a Timachida affertur, quarto libro adscribo; fortasse post miraculum primum in excursu de ceteris egit.

Περὶ νήσων Fr. 36 = 2b. Praeter illos Chronicon libros primum tertium quartum a scriptoribus citatur Xenagorae opus *περὶ νήσων*, e quo illud de Cypri cognomine *Κεραστία* fragmentum excerptum est in Etymologio Magno p. 738, 51, de quo supra vidimus.

Fr. 37. De Cypro quoque agitur apud Harpocrationem: *Χύτροι· Λυσίας ἐν τῷ κατ' Αἰσχίνου περὶ τῆς δημεύσεως τῶν Ἀριστοφάνους χρημάτων „ἐπειδὴ τοίνυν τοὺς Χύτρους ὁ Δημάρατος ἑάλω προδιδούς." Πόλις ἐστὶν ἐν Κύπρῳ οὕτω καλουμένη, καθά φησι Ξεναγόρας ἐν ταῖς νήσοις*, et apud Stephanum Byz.: *Χύτροι, Κύπρου πόλις, ἣν ὠνομάσθαι μὲν Ξεναγόρας φησὶν ἀπὸ Χύτρου*

τοῦ Ἀλέδρου τοῦ Ἀκάμαντος. ὁ πολίτης Χύτριος. Ἀλέξανδρος ἐν τῷ περὶ Κύπρου „τὴν δὲ Γορδίαν ἀποδοῦναι Χυτρίοις.“ καὶ πάλιν „Εὐρυνόην τῶν Χυτρίων βασιλεὺς ἔγημεν.“ ἀναλογεῖ δὲ τὸ ἐθνικὸν πρὸς τὸ Χύτρος ἑνικόν, ὡς Κύπριος πρὸς τὸ Κύπρος. Locus Harpocrationis redolet Didymi commentarios in decem oratores scriptos. A Stephano praeter Xenagoram citatur Alexander Polyhistor, pro quo Meineke coniecit *Μένανδρος*, de quo dubitat E. Schwartz (RE. I, 2, 1450, 22). Si nomen Alexandri, qui saepe a Stephano citatur, hic iuste traditum est, conicere licet mentionem Xenagorae per eum ad auctores Stephani venisse. Hic usus est opere Ori *περὶ ἐθνικῶν*. „Daraus folgt, daß der leitende Gesichtspunkt grammatisch-orthographisch sein sollte: Die Bildung der Adjektivformen von den Ortsnamen“ (Reitzenstein, Gesch. der griech. Etym. p. 316, cf. p. 325 et 332); atque haec vestigia hoc loco habemus. Philonis Byblii opere eis locis, quibus citatur Xenagoras (*Ἀκόντιον, Καρπασία, Χύτροι*), usum esse Stephanum non verisimile est, cum ille *περὶ πόλεων καὶ οὓς ἑκάστη αὐτῶν ἐνδόξους ἤνεγκεν* scripserit, quod non quadrat ad locos ex opere Xenagorae citatos. De Herodiano et Apollonio Dyscolo Stephani auctoribus, e quibus plura descripsit, monuit R. Schneider (Gramm. Graec. 3, Apoll. Dysc. praef. 4); sed dubito de Apollonio grammatico horum locorum auctore, cum de orthographia Xenagoras non citatus sit; ab Herodiano, de quo monet Stemplinger, Philol. 63, 1904, p. 615sqq., per opus Pamphili iterum ad Didymum pervenimus, e quo iam Gorgonis Rhodii locos Hesychianos haustos esse videramus. Hoc loco fortasse ultra Didymum recedere possumus ad Alexandrum Polyhistorem, qui non minor fuerit Timachida; fortasse Didymus ex eo omnes locos Xenagorae excerpsit ipsumque opus Xenagorae non iam legit.

Apud eundem Stephanum exstat fragmentum, quod Fr. 38.
cum et ipsum de Cypro sit, Mueller (fr. 11) iure libro *περὶ νήσων* adscripsit: *Καρπασία, πόλις Κύπρου, ἣν Πυγμαλίων ἔκτισεν, ὡς Ἑλλάνικος ἐν τοῖς Κυπριακοῖς. Διονύσιος δὲ διὰ*

διφθόγγου Κραπάσειαν αὐτήν φησιν ἐν τρίτῳ Βασσαρικῶν „ἠδ' ὁπόσοι Κινύρειον ἰδ' αἰπεινὴν Κραπάσειαν.“ ἔστι καὶ νῆσος Καρπασία κατὰ τὴν ἄκραν τὴν Σαρπηδονίαν. Ξεναγόρας δὲ Κάρπαθον αὐτήν φησι, Δημήτριος δ' ὁ Σαλαμίνιος Καρβασίαν φησίν, ὅτι πρὸς τὸν καλούμενον Κάρβαν ἄνεμον κεῖσθαι δοκεῖ. Xenagoras, ut mihi videtur, nomen insulae Cypriorum Carpasiae contulit cum nomine insulae doricae Carpathi arbitratus Carpasiam esse coloniam Carpathiorum; Ed. Meyer quidem (Gesch. des Altertums 2, § 475) Hellanico confisus Carpasiam coloniam dicit Phoenicum, negat autem Engel (Kypros p. 85 et 174): Hellanicum fabulosum dicit et testimonia affert Strabonis (14, 6, 3) et Ptolemaei (5, 14, 4), qui eodem loco atque Carpasiam afferunt *Ἀχαιῶν ἀκτή.*

Fr. 39. Ex eodem libro *περὶ νήσων* mihi videtur afferre Stephanus fragmentum Muelleri quintum — quod notat „e libris incertis“ — *Ἀκόντιον, πόλις Ἀρκαδίας ἀπὸ Ἀκοντίου τοῦ Λυκάονος. ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα Εὐβοίας, ὡς Ξεναγόρας καὶ Ἀνδροτίων ὀγδόῃ,* cum de insula Euboea agatur.

Fr. 40. De insula maris Aegaei Sicino agitur in fr. Muelleri 12, quod exstat in scholl. ad Ap. Rh. Arg. 1, 623 ... *ἐς Οἰνοίην ἐρύσαντο] εἴληφε τὴν ἱστορίαν παρὰ Θεολύτου. Σίκινος δέ ἐστι νῆσός τις πρὸ τῆς Εὐβοίας τὸ πρότερον Οἰνοίη καλουμένη διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν ἀμπελόφυτον. μνημονεύει δὲ τῆς μετονομασίας Ξεναγόρας λέγων, ὅτι μετωνομάσθη ἀπὸ Σικίνου τοῦ υἱοῦ Θόαντος καὶ νύμφης Οἰνοίης. ὅτι δὲ ἐνθάδε Θόας ἐσώθη, καὶ Κλέων ὁ Κουριεὺς ἱστορεῖ καὶ Ἀσκληπιάδης, δεικνύς, ὅτι παρὰ Κλέωνος τὰ πάντα μετήνεγκεν Ἀπολλώνιος.* Hunc locum exscripsit et corrupit auctor Etymologii Magni: *Σίκινος νησός ἐστι πρὸς τῇ Εὐβοίᾳ Οἰνοίη τὸ πρότερον καλουμένη διὰ τὸ εἶναι ἀμπελόφυτον. μετωνομάσθη δὲ ἀπὸ υἱοῦ Θόαντος Σικίνου καὶ νύμφης Οἰνοναϊάδος. Ἀπολλώνιος* ... E nomine *Οἰνοναϊάδος* cognoscitur *Οἰνοίης ναϊάδος* prius scriptum fuisse — *νύμφη* et *ναϊάς* item componit Paus. 8, 4, 2: *Ναϊάδων Νυμφῶν μάλιστά ἐστι μνήμη* —; itaque in scholio Ap. conicio ... *Θόαντος καὶ νύμφης Οἰνοίης* ⟨*ναϊάδος*⟩. Stephanus Byz. autem — *Σίκινος ... αὕτη Οἰνοίη πρότερον ἐκαλεῖτο* — auctorem non tradit; locum vero, quo

Plinius (n. h. 4, 12, 69) breviter dicit „Sicinus, quae antea Oenoë“, e Xenagora haustum esse inde sequitur, quod in indice inter auctores libri quarti citatus est. In scholiis Ap. post Xenagoram citatur Asclepiades Myrleanus, qui cum aequalis Timachidae esset, legere potuit opus Xenagorae; fortasse hic locus per *Βιθυνιακά* (cf. B. A. Mueller, de Ascl. Myrl., Lips. 1903, p. 11sq.) eius in scholia Apoll. pervenit.

Septem locis traditum invenimus fragmentum, quo agitur de Cercopibus et insulis Pithecusis, primo ab Harpocratione (ed. Dind., p. 174): *Κέρκωψ· Αἰσχίνης ἐν τῷ περὶ πρεσβείας. ἐν τοῖς εἰς Ὅμηρον ἀναφερομένοις „Κέρκωψιν“ δηλοῦται, ὡς ἐξαπατητῆρές τε ἦσαν καὶ ψεῦσται οἱ Κέρκωπες. Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους αὐτοὺς μεταβαλεῖν φησι καὶ τὰς Πιθηκούσσας νήσους ἀπ' αὐτῶν κληθῆναι. Αἰσχρίων δὲ ὁ Σάμιος ἐν τοῖς Ἰάμβοις καὶ τὰ ὀνόματα αὐτῶν ἀναγράφει* . . . Harpocratio hunc locum ut locos de Craugalidis et Chytris e commentariis ad oratores Atticos a Didymo, quem ipse citat, compositis excerpsit. Xenagoras autem non de ipsis Cercopibus videtur egisse, sed de insulis Pithecusis, ita ut nomina Cercopum non curaret. — Eodem fere tempore atque Harpocratio Didymum expilavit Zenobius, qui 4, 50 hunc locum citat: *κερκωπίζειν· ἡ παροιμία ἀπὸ τῶν σαινόντων τῇ κέρκῳ ζῴων μετενήνεκται. ἄμεινον δὲ ἀπὸ τῶν Κερκώπων, οὓς περὶ τὴν Λυδίαν ἱστοροῦσιν ἀπατηλοὺς σφόδρα καὶ ἀηδεῖς γενέσθαι, παρ' ὃ καὶ ἀπολιθωθῆναι αὐτούς, καὶ Ἡρακλεῖ δὲ ἐνοχλεύσαντας, ὅτε παρ' Ὀμφάλῃ ἦν, κολασθῆναι· καὶ εἰς πιθήκους δὲ αὐτοὺς μεταβαλεῖν ὁ Ξεναγόρας φησίν*; quatenus ex hoc loco narratio Xenagorea compleri possit, incertum est. Deinde Xenagorae et Cercopum mentio fit in lexico Bachmanniano Σ (= *Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων ἐκ τῶν τοῦ Λουκιανοῦ*, anecd 2, p. 340): *ὅτι Σίλλος καὶ Τρίβαλλος Οἰχαλιεῖς ὄντες γένος, ἐπίορκοι καὶ ἀργοὶ ἐτύγχανον· ἀπ' αὐτῶν δὲ καὶ παροιμιαζόμενον Κερκώπων ἀγορά. ἀπελιθώθησαν δ' οὗτοι. Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους μεταβαλεῖν φησι διὰ κακοήθειαν.* Huc pervenit ex Harpocratione, cuius glossis amplificatum hoc lexicon in usum venit Photii et Fr. 41.

Suidae, qui non alter altero usi sunt sed a codicibus melioribus lexici *Σ* pendent (Wentzel, Sitzungsb. Berl. Akad. 1895, Beitr. zur Gesch. d. griech. Lexikographen, p. 479; cf. Reitzenstein, Der Anfang des Lex. des Photios, p. 19 et 31 ss.); iidemque usi sunt Harpocratione ipso atque Suidas codice pleniore quam nos habemus (Röllig, Quae ratio inter Photii et Suidae lexica intercedat, Diss. Hal. 1887, p. 45; cf. Wentzel, p. 480). Tradunt autem Photius ad *Κέρκωπες* (n. 2) *ἐξαπατητῆρες· ἱστοροῦνται καὶ ψεῦσται οἱ Κέρκωπες. Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους αὐτοὺς μεταβαλεῖν φησι καὶ τὰς Πιθηκούσας νήσους ἀπ' αὐτῶν κληθῆναι* ... et Suidas (ed. Gaisford 2075 D) ... *φησὶ δὲ αὐτοὺς Ξεναγόρας εἰς πιθήκους μεταμορφωθῆναι διὰ τὴν κακοήθειαν καὶ τὰς Πιθηκούσσας ἀπ' αὐτῶν ὀνομασθῆναι νήσους. τὰ δὲ ὀνόματα αὐτῶν* ..., nomina hausta sunt ex Harpocratione, qui ea excerpsit ex Aeschrione; conservavit autem Xenagoram vel Harpocrationem genuinum melius quam ceteri; *μεταμορφωθῆναι* enim et *ὀνομασθῆναι* (cf. fr. 37 = Harp. *Χύτροι*) mihi videtur habere e codice illo meliore Harpocrationis, pro quibus formis lectiones faciliores irrepserunt *μεταβαλεῖν* et *κληθῆναι*. Ex eodem lexico *Σ* hic locus pervenit in scholia ad Luc. Alex. cap. 4 (p. 180 ed. Rabe): *ὑπὲρ τοὺς Κέρκωπας*] *οὗτοι ἐν Βοιωτίᾳ διέτριβον Οἰχαλιεῖς ὄντες γένος, Σίλλος καὶ Τριβαλὸς ὀνομαζόμενοι, ἐπίορκοι καὶ ἀργοί, ὡς Κρατῖνος Ἀρχιλόχοις καὶ Διότιμος „Σίλλος τε Τριβαλός τε, δύω βαρυδαίμονες ἄνδρες"· ἀπ' αὐτῶν δὲ καὶ τὸ παροιμιαζόμενον Κερκώπων ἀγορά. ἀπελιθώθησαν δ' οὗτοι ὡς Φερεκύδης φησί. Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους διὰ κακοήθειαν μεταβαλεῖν φησιν ἐν τῷ περὶ νήσων*: omisit scholiasta verba illa de insulis Pithecusis, servavit, quod ceteris locis periit, *ἐν τῷ περὶ νήσων*. R. Winter quidem (De Luc. scholiis quaest. sel, Diss. Lips. 1908) hunc locum non ex Harpocratione in scholia Luc. pervenisse dicit sed fortasse e Suetoni libro *περὶ βλασφημιῶν*; mihi vero, quamquam integrum neque Harpocrationem neque lexicon *Σ* habemus, tamen ex hac serie satis apparere videtur hunc locum per *Σ* ad Harpocrationem referendum esse. Apostolius, qui septimus hunc

locum citat (9, 64): *κερκωπίζειν ἀντὶ τοῦ ἀπατᾶν καὶ δολιεύεσθαι· μετενήνεκται δ' ἀπὸ τῶν Κερκώπων . . . Ξεναγόρας δὲ πιθήκους αὐτοὺς καλεῖ, ἐξ ὧν κληθῆναι καὶ τὰς Πιθηκίνους νήσους,* saeculo 15 usus est Harpocratione, cuius codex Laur. gr. 58, 4 ab eo scriptus est, et Suida Photioque magna cum levitate (Hiller, Philol. 34, 1876, p. 230). — Nomen Xenagorae, quamquam de Cercopibus et Pithecusis agit, omisit Tzetzes ad Lycophronem 688. Xenagoras autem, cum de Cercopibus et Pithecusis ageret, vetere fabula usus est (cf. Lobeck „de Cercopibus et Cobalis" in Script. acad. Regimont., p. 7).

Hoc igitur in opere *περὶ νήσων* agitur de Cypro (fr. 36—38), de Euboea (fr. 39), de insula maris Aegaei Oenoa (fr. 40), de Pithecusis ad oram Italiae sitis (fr. 41); numerus autem libri nullo loco nominatur. Fueritne liber Chronon, ut putat Blinkenberg, p. 412/96, incertum est. Quod autem Hecker (Philol. 5, p. 217, cf. Susemihl 2, p. 680 in add. ad cap. 22, n. 326) in scholl. ad Ap. Rh. Arg. 1, 1165 coniecit *περὶ δὲ τῆς κλήσεως τοῦ πελάγους ⟨Ξεναγόρας⟩ ἐν τῷ τρίτῳ τῆς Νησιάδος φησίν,* pro quo Keil restituit ⟨*Σῆμος*⟩, comprobare non possum. E ceteris quoque locis, quibus Xenagorae citantur, nemo huc apponi potest; is quoque, cuius epigramma Plutarchus (Aem. Paull. 15) citat de altitudine Olympi, non idem est atque auctor Chronon et libri de insulis, ut docet Wilamowitz, Herm. 54, 1919, p. 69—71.

Quodsi fragmenta Chronon respicimus, Xenagoras videtur primis libris e terris ad orientem vergentibus orsus egisse de his rebusque earum antiquissimis; in libro tertio ad Siciliam describendam pervenit et fortasse Italiam Africamque. Deinde quarto libro iterum orsus ab orientalibus narravit, fortasse ab illis a quibus Herodotus incipit libro primo temporibus usque ad saeculum quartum. De aetate Alexandri eum non iam egisse apparet e contextu Lindio, ita ut Blinkenberg Xenagoram quarto a. Ch. saeculo fuisse dicat; at opus longius deducere ut Herodotus et Thucydides morte prohibitus esse potest. Itaque recte dicit Wilamowitz Xenagoram fuisse post Hegesiam, qui

tertio saeculo fuit: atque post Gorgonem fuit, qui de Ptolemaeo Sotere (mort. anno 283) scripsit, et post Phaënnum, qui poetam saeculi tertii ineuntis imitatur; accedit, quod auctor saeculi 4, quem vult Blinkenberg, nondum de Romanis scribere potuit.

Ad eandem fere aetatem pervenimus rationem operis utriusque cum spectamus; agitur enim omnibus locis plenioribus priorum librorum Chronon — extra titulum Lindium traditis — et operis de insulis inscripti de fabulis, non de situ spatiisque, quae in opere geographico („de insulis") requirimus: Aegypti dicit Thebas antiquissimam urbem esse, Assyriae nomen deducit ab rege Asuro sive ab *α* et *σύρειν*, de Siciliae et Italiae Africaeque historia fabulari citatur, cognomen Cypri Cerastiam deducit a promunturiis, quae cornua vocata esse dicit, nomen oppidi Chytriorum a rege Chytro, insulae Sicini nomen Oenoam a nympha Oenoa, nomen insularum Pithecusarum a Cercopibus in simias mutatis. Hic mos singulorum locorum fabulas colligendi, quem in Chronicis quoque Lindiis deprendimus, originem duxit a Callimacho Istro Philostephano Alexandrinis; citatur a Suida opus Callimachi *Κτίσεις νήσων καὶ πόλεων καὶ μετονομασίαι*. Imprimis *Μετονομασίας* Callimachi (cf. Kentenich, Analecta Alex., Diss., Bonn. 1898, p. 7 et 27) posteri imitati sunt, ut Archemachus et Nicanor et auctor libri *Περὶ νήσων* anonymus a Plinio in hist. nat. usurpatus. His quoque rebus adducor, ut Xenagoram non ante saeculi tertii partem alteram fuisse arbitrer. Quae cum ita sint, potator ille Rhodius, cuius mentionem faciunt Aelianus (v. h. 12, 26: *ποτίστατοι γεγόνασιν ἄνθρωποι, ὥσπερ φασί, Ξεναγόρας ὁ Ῥόδιος, ὃν ἐκάλουν Ἀμφορέα*) et Athenaeus (10, 436 F: *Ξεναγόρας ὁ Ῥόδιος διὰ τὴν πολυποσίαν Μετρητὴς ἐκαλεῖτο. μνημονεύει αὐτοῦ Εὐφορίων ὁ ἐποποιὸς ἐν Χιλιάσιν*) non idem fuisse potest atque Xenagoras „*ὁ συγγραφεύς*"; Euphorio enim, qui anno 276 natus est, cum non multo minor fuerit Mnasalce, quem imitatur Phaënnus, auctor Xenagorae, aliquanto maior fuerit Xenagora, qui sub finem saeculi tertii sive initio saeculi alterius videtur opera

sua scripsisse. — Errare autem videtur Vossius, quod (de hist. Grac., p. 503) dicit: „in bibliotheca Vaticana exstare dicitur Xenagorae liber de insulis", quae opinio nullo loco firmatur, neque vero Fabricius (bibl. Graec.) codicem Xenagorae commemorat.

De fide Xenagorae dissentio a viris doctis, qui de ea disseruerunt, cum aliter inter se cohaerere mihi videantur atque illis auctores classis primae; videtur auctores suos paene ad verbum compilavisse, ut cognoscitur praecipue e titulis donorum, non ultra mentitus esse. — Ut e Chronicis Lindiis de fide Xenagorae iudicare possumus, ita e fragmentis in codicibus traditis intellegimus, usque ad quam aetatem opus eius lectum sit. Incertum est, iamne ante Timachidam, qui anno 99 a. Chr. Chronica composuit, scriptor eo usus sit; si loci in scholiis Apollonianis a Theone collecti sunt, fortasse nemo. Post Timachidam, quoad nos iudicare possumus, primum Polyhistor, qui a Sulla captivus Romam deductus anno 82 manu mittebatur, deinde Didymus, Dionysius Hal., Theo, discipulus Didymi, eo usi sunt; infra Theonem testimonia non habemus legisse aliquem opus Xenagorae. Inde fortasse concludere possumus fuisse eum non multum ante Timachidam, i. e. saeculo altero.

Ceterae classes primae aliquanto cedunt. Classis altera, **Classes 2—8.** cuius auctores mihi videntur esse Polyzelus, quo Timachidas usus est, Herodotus, Hieronymus, primae opposita est: usque ad cap. 34 paene ita res se habet, ut quae non traduntur a Xenagora, tradantur a Polyzelo: hic fuisse videtur inter Androtionem et Hermippum (i. q. sequitur e fragmento in Plut. Sol. 15 servato), i. e. intra annos 350 et 200. Classis tertiae auctores sunt Timocritus, cuius opere quod scripsit post Ptolemaeum Philadelphum (Tim. cap. 37) Timachidas usus est, et Ergias; quamquam ceteris non ita opposita est, ut altera primae, tamen a ceteris satis distincta est, satisque quarta, cuius auctores sunt Hiero (a Tim. lectus) Aristio Aristonymus Onomastusque, quos, cum in cap. Dβ nomen Hieronis excidisse possit, huic classi adscribo, et auctor ille,

cuius nomen in C 42 excidit, ubi Agelochus non scriptus esse videtur; nomine enim illius posito ordo classium — in illo capitulo unice servatus — turbatur. Agelochus, qui post Pyrrhum fuit, solus unam classem facit quintam, sextam auctor ille, cuius nomen in cap. 7 excidit. Septimae classis caput est Agestratus, qui Zenone utitur, ita ut Timachidas, cum Agestratus de historia fabulari non egerit, ne Zenonem quidem de ea citare possit. Polyzelus autem, ubi cum Zenone consentit, auctor eius mihi videtur esse. Denique classem octavam faciunt *τοὶ Λινδίων χρηματισμοί.*

Restat, ut pauca de ordine donorum a Timachida allatorum addam, de quo non Blinkenbergium sequor sed Keilium, qui l. c. causam capituli 37 falso loco (non, ut de Philadelpho post Alexandrum Magnum et Soterem narrari debebat, i. e. post cap. 39) positi intellegit in auctoribus adhibitis, cum a cap. 38, quod insequitur, fontes sint *χρηματισμοί*; de libellis publicis, quos in scrinio reipublicae Rhodiorum conservatos Timachidas haud adierit, capituli 37 fontibus dubito. De iis vero, quae Keilius de Timachidae arte rhetorica disseruit, disputare non huius operis esse existimo, praesertim cum mihi difficiliora et artificiosiora videantur esse, quam quae de auctore horum Chronicorum dici possint, qui tantum gloriatur multitudine viginti sex illorum auctorum, quorum octo perscrutatus est paucosque alios inspexit.

Quodsi nunc singulis capitulis ii auctores adimuntur, quibus Timachidas non ipse usus est, copia eorum aliquantum diminuitur, ita ut restent: in capp. 1 et 2 Xenagoras: in cap. 3 Polyzelus; in capp. 4, 5, 6 Xenagoras; in cap. 7 [. . .] et Hiero; in capp. 8—17 Xenagoras; in cap. 23 Timocritus et Polyzelus; in capp. 24—28 Xenagoras; in cap. 29 Polyzelus, Hiero, Xenagoras (et Hierobulus); in capp. 30 et 31 Xenagoras; in cap. 32 (Eudemus et) Myro, Timocritus, Polyzelus, Hiero; in capp. 33 et 34 Xenagoras; in cap. 35 Timocritus, Hiero, Agestratus; in cap. 36 Agelochus; in cap. 37 Timocritus; in capp. 38 et 39 acta magistratuum; in capp. 40 et 41 acta,

Agestratus, Agelochus; in cap. 42 acta; in cap. Dα (Eudemus et) Myro, Timocritus, Polyzelus, Hiero, Xenagoras; in cap. Dβ... (Eudemus), Xenagoras, Timocritus, [Hiero].

Quae si ita sunt, in triginta capitulis tantum singulis auctoribus usus est, binis in duobus (7 et 23), ternis in quattuor (29, 35, 40, 41), quattuor auctoribus in cap. 32, quinque in cap. Dα et fortasse in Dβ. In capp. 7 et 23, quae Timachidas e binis auctoribus sumpsit, cum tantum capita classium citata sint, ordinem classium facile distinguimus; minus facile in iis capitulis, quos e pluribus habet: in cap. 29 tres illae classes (2, 4, 1) clare distinctae sunt, quod supra demonstravi; nam cum illud capitulum primum e maiore numero auctorum hauriret, auctores scripsit, ut in notitiam eius venerunt; antecedunt auctores classis alterius Polyzelus et Herodotus, qui propter suam auctoritatem antepositus est, sequuntur auctores classis quartae Hiero, quem legit Timachidas, [...], Aristio, Aristonymus, Onomastus, ad finem, cum obsint ceteris, auctores classis primae Xenagoras et Hierobulus; iterum ordo non turbatus est in cap. 41, in quo citantur classis octava, quae tantum acta illa continet, Agestratus caput classis septimae, Agelochus, unicus auctor classis quintae: hoc in capitulo ordo turbari non poterat; at turbatus est de industria, ut vilitatem studiorum suorum dissimularet, in cap. 35, in quo citantur Ergias auctor classis tertiae, Zeno septimae, Timocritus caput tertiae, Hiero caput quartae, Agestratus caput septimae, — anteposuit auctores, quos non legit, iis, quos legit — et in cap. 40: acta, Zeno septimae, Agelochus caput quintae, Agestratus caput septimae: anteposuit acta, ad finem posuit duarum classium capita, in medio auctorem, quem non legit. Aliter cum ordine res se habet in cap. 32, in quo quattuor auctoribus usus est et classibus primae (b) et tertiae alteram et quartam opposuit: Eudemum Myronemque, quos ipse legit, sequitur Timocritus caput tertiae classis; tum citati sunt Hieronymus et Polyzelus auctores illi alterius ita, ut primo aspectu iudicares Hieronymum ab eo lectum esse, deinde Aristio et Hiero

quartae: utroque loco is, quo usus est, post eum, quem non legit. Plane turbavit ordinem in capp. Dα et Dβ: citantur in Dα Eudemus (1 b), Ergias (3), Polyzelus et Hieronymus (2 — hoc ordine!), Myro (1 b), Timocritus (caput tertiae), Hiero (caput quartae), contra hos Xenagoras (caput primae); tum, qui ante excidit, ad finem additus est Aristio (4); in reliquiis capituli Dβ citantur Eudemus (1 b), Timocritus (caput tertiae), Xenagoras (caput primae), Onomastus et Aristonymus (4). Sic facilius se simulaturum esse tanto se auctorum numero usum esse speravit.

Sed redeo ad capitula, quibus de donis Persarum refertur, 32, Dα, 35: videramus in cap. 32 exceptis Ergia Xenagoraque eosdem auctores et excepto Hieronymo eosdem libros citatos esse atque in cap. Dα, Timachidas autem excepto uno Xenagora apud omnes in eodem libro de utroque dono relatum invenit, Hieronymum Ergiamque non legit; legit de utroque apud (Eudemum et) Myronem, Timocritum, Polyzelum, Hieronem; de dono autem Artaxerxis (cap. 35) apud Timocritum Hieronem Agestratum: apud duos igitur et de dono ducis et de dono regis Persarum legit Timachidas, non apud tres auctores, ut supra dixeram.

Videmus autem, si cuncta respicimus, a Timachida lectos esse auctores nequaquam illustrissimos: nullius fere aetas nobis cognita erat, atque Timocriti, Hieronis, Agelochi, Agestrati ne unum quidem fragmentum habebamus, Polyzeli quattuor, Xenagorae paulo plura, sed omnia per grammaticos Alexandrinos. Quid, quod cuncti Timachidam aetate paulo antecedunt, veterrimusque (Polyzelus) omnium videtur fuisse sub finem saeculi quarti sive parte priore saeculi tertii. Auctores autem minus obscuros ne Rhodios quidem adhibuit, ut Zenonem, auctorem Diodori et Polybii, et Antisthenem, nedum ceteros ut Polybium. Atque ii, quibus auctores Timachidae usi sunt, omnes ignoti sunt praeter Herodotum, Hegesiam, Eudemum, Myronem; itaque quod Wilamowitz (p. 43) dicit per Timachidam confirmari sententiam Rhodios vetera chronica non habuisse, dubito

e silentio Timachidae aliquid concludere; auctor enim est vilissimus nec, nisi per rogationem patris ei obtigisset, ut opus eius lapidi — qui nostro saeculo casu repertus est — traderetur, ullam huius operis notitiam haberemus. Praeclaro loco lapis certe non constitutus erat; nam ne Mucianus quidem, qui tot res vidit, cui reliquiae thoracis Amasis ostendebantur, hunc lapidem vidit.

Vita.

Natus sum Hans-Guenther Broecker a. d. 16 kalendas Novembres anni 1895 patre Paulo, tum praedii domino, et matre Margaretha e gente Maschia, in praedio Hanshagen in regione Schlawensi Pommeraniae sito. Fidem profiteor evangelicam. Educatus sum semper fere a matre primisque litteris imbutus sum ab anno 1902 Colbergae, deinde in ludo vici Skurz Borussiae Occidentalis et iterum Colbergae in ludo Bonowiano. Gymnasio eruditus sum ab anno 1905 usque ad annum 1914 Colbergensi, cuius maturitatis testimonium adeptus sum vere anni 1914. Cuius anni aestate Gryphiswaldiae, deinde ab Octobri 1914 usque ad Aprilem 1919 Berolini, aestate huius anni Heidelbergae philologiae historiae archaeologiae studui. Docuerunt me in proseminariis philologicis E. Lommatzsch et G. Thiele † Gryphiswaldenses, E. Norden, G. Pasquali, A. Rosenberg, U. de Wilamowitz-Moellendorff et praecipue H. Diels Berolinenses, exercitationibus historicis O. Hirschfeld et E. Meyer Berolinenses, archaeologicis E. Pernice Gryphiswaldensis, W. Amelung, F. Noack, H. Winnefeld † Berolinenses, F. de Duhn Heidelbergensis, palaeographicis F. Boll Heidelbergensis. Auspiciis H. Dielsii et U. de Wilamowitzii hieme anni 1916/17 sodalis ordinarius et senior seminarii philologici Berolinensis fui. Mensibus qui insequebantur Maio et Iunio, cum essem in officio bellico, Berolini in gymnasio pueros docui; a Iulio 1917 usque ad Decembrem 1918 miles fui.